LIBRERIA CECCHI
[FIR]ENZE
[Via d]el Duomo, 22

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/deprimisflorenti00fogg

DE PRIMIS FLORENTINORUM APOSTOLIS.

DE PRIMIS FLORENTINORUM APOSTOLIS

EXERCITATIO SINGULARIS

AUCTORE

PETRO FRANCISCO FOGGINIO
SACERDOTE FLORENTINO
S. TH. D.

AD ILLUSTRISS. ET CLARISS. D. D.

PETRUM FRANCISCUM
RICCIUM
SENATOREM FLORENTINUM
AMPLISSIMUM.

FLORENTIÆ
ANNO SALUTIS M.DCC.XXXX.

EX TYPOGRAPHIO MANNIANO.
CUM ADPROBATIONE.

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO

PETRO FRANCISCO
R I C C I O

SENATORI FLORENTINO

EQUESTRIS ORDINIS D. STEPHANI

P R I O R I A C P R Æ S I D I

FLORENTINÆ ET PISANÆ ACADEMIÆ

M O D E R A T O R I

PATRONO SUO BENEFICENTISSIMO

PETRUS FRANCISCUS FOGGINIUS

D. D. D.

QUUM Libellus hic meus, utpote qui iuxta aequiores bonae Critices leges

de rebus ad religionem ſpectantibus agat, eum Virum ſibi Patronum adſciſci efflagitaret, in quo eximiae pietati, atque doctrinae coniuncta prudentia emineret ſingularis: in Te ſtatim oculos defixi meos, NOBILISSIME, ET AMPLISSIME VIR, quem ob ſummam illam, qua meam domum totam amplecteris benevolentia, veluti amicum, & praeſens Numen ſuſpicio. Neque vero pluribus eſt opus, ut talem Te eſse probem, qualem meo Libello Patronum comparandum fuiſse ſentiebam, cum pietatem, doctrinam, & prudentiam tuam Domeſtici non ſolum admirentur, ſed tota Civitas praedicet; quae quidem magnam habet gratiam Coſmo III. Etruriae Magno Duci ſapientiſsimo, quod Te morum gravitate, & Iurisprudentia ante aetatem ſenem, ante aetatem novo exemplo, quum ſcilicet

quinctum luſtrum vix dum explevisſes, in Florentinos Patres cooptavit,& deinde Illuſtriſsimi Equeſtris Ordinis D. Stephani Praeſidem conſtituit, tanta enim iuſtitia,& ſapientia hos, aliosque plures Magiſtratus ſemper idem regere conſueviſti, ut illis non minus honoris dignatione tua reddideris, quam acceperis. Porro tuum inſigne, & plane mirum erga bonas artes, & bonarum artium amatores ſtudium, multa quidem exempla comprobant, ſed ex eo potiſsimum fas eſt intelligere, quod Piſanae, & Florentinae Academiae Cathedras Literatiſsimis Viris impleri pro virili parte ſemper curaveris, quodque ab Io: Gaſtone Magno Etruriae Duce, aptiſsimo virtutis tuae aeſtimatore, impetraveris, ut Piſis Aſtronomica aedificaretur ſpecula, qua cura, abſit invidia dicto, ipſos etiam Caelos,

Vir Amplissime, Tibi quodammodo devinctos reddidiſſe, & obligatos videris. Age vero: quidquid hoc Libelli eſt, quod, tamquam obſequii, & venerationis erga Te meae monumentum, Tibi ſiſto, qua ſemper uti ſoles humanitate, libens excipe; atque utinam Bono Publico annos plurimos feliciſſimos agas, aeternaque laude florentem virtutis Tuae gloriam, & incolumis, & fortis aliis ſuper alia operibus augeas. Vale.

Ex Aedibus Seminarii Florentini
VIII. Kal. Quinctiles A. S. CIƆIƆCCXL.

LECTORI
AUCTOR.

SCribenti mihi de Romano D. Petri itinere, & Epiſcopatu meminiſſe neceſſe fuit, populos eſſe multos, ad quos Chriſtianam Fidem edocendos S. Apoſtolum diſcipulos ſuos miſiſſe Romae, fama eſt. Itaque cum ex omnibus rebus humanis nihil ſit praeclarius, aut praeſtantius, quam de Patria benemereri, cui nos primum natura conciliat, & cuius non poteſt cognatio ulla proprior eſſe, diligentem de primis Florentinorum Apoſtolis diſputationem inſtituere aequum, & bonum eſſe cenſui; etenim & nos Florentinos a D. Petro, cum Romae degeret, primos Chriſtianae Fidei doctores accepiſſe vulgo creditur, & quidem adeo pertinaciter, ut multae con-

citatae

citatae ſint turbae, quod Cl. Vir, vulgarem illam opinionem fundamentis neutiquam certis inniti, exiſtimaverit. Quoniam vero illa omnia, de quibus luculenter agendum mihi eſt, ea ratione pertractanda ſuſcipio, ut omni partium ſtudio ſolutus, quae faciles ſcriptores, ſervum pecus, indoctis propinant hominibus, cautus legam, & pro virili parte, quae rationi magis conſona eſſe videantur, induſtrius intelligere ſtudeam, ubi primum ad eam diſputationem me contuli, antiquos codices, & lapides, ſi qui forent, conſulere, ſanioris critices Scriptores evolvere, & ex multis, quae antea de eadem re dicta fuiſſe noveram, certa ab incertis, probabilia a falſis diſcernere, quae paſſim exoriebantur ſuſpiciones, & coniecturae ponderare, perpendere, examinare, omnes denique artes, quae veritati inveniendae uſui forent, adhibere. Neque vero in irritum ceſſit labor. Cum ea ſit veritatis natura, ut ab iis haud difficile inveniri patiatur, qui eam diligenter quaerunt, ſinceroque animi affectu, compertum habui plane iniuria dici, quod S. Romulus a D. Petro Faeſulas miſſus Florentinos Chriſtianam Fidem edocuerit, cum non ſolum nullis certis hoc nitatur fundamentis, verum etiam evidens plane ſit, Sanctiſſimum illum Faeſularum Epiſcopum tribus ſaltem ſeculis poſt D. Petrum floruiſſe, ut in hac Exercitatione de primis Florentinorum Apoſtolis abunde ſum probaturus, ubi de SS. Frontino, & Paulino, quos pariter Petri Diſcipulos, & Doctores

noſtros

noſtros fuiſse ferunt, quae modo magis veriſimilia eſſe arbitrabar, diſputavero. Porro inſeritur haec Exercitatio aliis decem, & novem Exercitationibus Hiſtorico-Criticis de Romano D. Petri itinere, & Epiſcopatu, quae quidem edentur non poſt multos hos menſes; ſed nonnulla eius exempla ab illis ſeparata vulgare maturavi, Florentinis, & Faeſulanis indulgendi gratia, qui primaevam ſuarum Eccleſiarum Hiſtoriam a me eſſe prae ceteris illuſtratam ſentientes, quanto citius meo labore uti poſſe efflagitarunt. Etſi vero defuturos non eſſe ſubiit, qui me forte calumnientur (*)

Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt,
Vel quia turpe putant parere minoribus: & quae
Imberbes didicere ſenes perdenda fateri:

Divinae tamen gloriae potius inſerviendum mihi fuit, quam paucorum hominum faſtidio, quorum debiles oculi veritatis lucem aegre tuliſſent; & cum a Deo luminum Patre, ſi quid in meo opere eſset boni, deſcenderit, non ſine gravi piaculo candelabrum ab eo accenſum ſub modio abſcondere me poſse ſenſi; & profecto ſpem bonam porto futurum fore, ut melior hominum pars cariſſimum habeat laborem meum, & illi praecipue, quibus Eccleſiarum, quarum primordia illuſtrare ſtudui, cura eſt divinitus demandata; etenim utpote vera doctrina, & vera pietate praediti, veritatem

(*) Horat. Lib. 2. Ep. 4. v. 83.

tatem tueri non praetermittent contra eius oſores, ſi qui tamen erunt, qui ſe aperte tales profiteri non erubeſcant; eſt enim veritatem odiſſe inſignis nota reprobationis, cum auctor veritatis, & pater Deus, mendacii autem, & ſuperſtitionis pater, & auctor ſit Diabolus. Vale, & utere.

DE PRIMIS FLORENTINORUM APOSTOLIS.

EXERCITATIO SINGULARIS.

*****

IOANNES Lamius mirabilis Vir in aureo, quem nuper edidit, de Eruditione Apoſtolorum Libro ſingulari, Florentinos ſecundo vel tertio ſeculo Chriſtianam fidem amplexos eſſe exiſtimans *Et quidem*, inquit (1) *Florentinos ſecundo vel tertio tandem ſeculo tantum, fidem Chriſtianam ex parte amplexos fuiſſe crediderim: quum nullis certis fundamentis nitatur traditio, quæ vult Romulum quemdam, & Paulinum, & Frontinum Petri diſcipulos a Petro miſſos, Evangelium iis adnunciaviſſe &c.* Age vero, hiſce verbis vir eruditiſſimus inficiari nequaquam voluit, tres illos Heroas numquam extitiſſe, ut eius ſententiam, in deteriorem partem accipientes nonnulli, calumniati ſunt: ſed tantummodo, quod fundamentis neutiquam certis innituntur, qui volunt, eos a Petro miſſos Chriſti Lege Florentiam imbuiſſe; qua in re nihil ſane eſt, quod reprehendi poſſit. Qui Frontinum, & Paulinum Petri diſcipulos Florentiæ omnium primos Ieſum Chriſtum prædicaſſe volunt, unius potiſſimum Ioannis Villanii auctoritatem oſtentant, quem non raro decipi, cum de iis loquitur, quæ ante ætatem ſuam geſta ſunt, deprehendimus.

1 Lib. de Erudit. Apoſt. cap. 11. pag. 190.

Itaque ſi nullo vel probabili argumento Florentinum Frontini, & Paulini Apoſtolatum adſtrui quis diceret, male quidem ſenſiſſe videretur, ſed nullis certis probari argumentis ſatis cate dici poteſt, immo vero laudabiliter.

Neque vero quoniam ante ſecundum vel tertium ſeculum, Chriſtianam Fidem Florentiæ coli incœpiſse opinatur Lamius, ideo ſtatim negat, de ea aliquid vel Petri temporibus adnunciatum fuiſſe; de eo enim potiſſimum tempore loqui videtur, quo factum eſt, ut Florentinorum hominum pars maxima Chriſto nomen dederit: hoc autem contigiſse ante ſecundum, vel tertium ſeculum quis probet? Celebris eſt apud nos SS. Martyrum Miniatis, & Sociorum, nec non SS. Creſcii, Onnionis, & Entii, & tandem S. Pamphilæ, & Cerbonis memoria; ſed quamvis eam ſemper coluerim, & colam ſemper, ut quidem ab immemorabili cultam eſſe novimus, de qua re non ſolum grandævæ ætatis Martyrologia & Paſſionaria, verum etiam antiquiſſimæ fidem faciunt ſacræ ædes, quæ Florentiæ, & in eius agro, finitimarumque urbium, eorum ſanctitati dedicatæ ſunt; nihilominus cum iſtorum Sanctorum Acta, quod aliis multis SS. Actis commune eſt, corrupta, & interpolata fuiſſe videantur, unde illi eſſent, quo Imperatore ſint paſſi, quodque ſubierint mortis genus, coniicere fas eſt, non ſcire. Eſt etiam quidam mons ad nonum circiter ab urbe noſtra lapidem, qui dicitur nomine *Mons Martyrum*, ſed qui nam Martyres hoc nomen illi dederint, ignoratur. Pulcherrimum plane, & antiquiſſimum primævæ Florentinorum pietatis monumentum ex graviſſimo habemus Auctore S. Optato Milevitano, qui lib. 1. de Schiſmate Donatiſtarum inter Epiſcopos Romani Concilii pro cauſſa Donatiſtarum indicti an. ſal. 313. Felicem *a Florentia Tuſcorum* diſerte commemorat.

Porro Paulinus Presbyter [1] ſcribens D. Ambroſium ad Tuſciam deſcendiſſe invitatum a Florentinis, & Baſilicam Florentiæ ædificaſſe magna totius Plebis Sanctæ lætitia, atque exultatione, & Radagaſio Florentiam obſidente, cum deſperarent Cives, cuidam per viſum apparuiſſe, poſtero die ſalutem affuturam promittentem, & hoc nuntio civium animos eſſe erectos, abunde quidem, quarto Eccleſiæ ſeculo cadente, meliorem Florentinorum partem ſuave Evangelicæ Legis iugum tuliſſe, teſtatur. At vero cum dicit: Ambroſium hoſpitatum eſſe *in domo Clariſſimi quondam viri Decentis, & quod eſt amplius Chriſtiani;* nonne anſam ad ſuſpicandum dat, multos adhuc Ethnicos Florentiae habitaſſe, ut quidem & alibi multi erant, quamquam ſub principibus Chriſtianis Theodoſio, & Valentiniano Chriſtiana Religio principatum ubique obtineret?

Verum ſi quis pauxillum argenti publico commodo & ornamento dedicans, curam bono viro dignam ſibi ſumpſiſſet cavandi latius altam foſſam, quæ nuper facta eſt, ut in ea novæ fundamenta locarentur antiquiſſimæ Eccleſiæ SS. Machabæorum, quam vulgo dicunt S. Felicitatis; haud dubito, quin proferendus eſſet pretioſus veterum lapidum theſaurus, primævæ Florentinorum pietatis dulces reliquiæ & venerabiles; eo enim in loco, qui cum ad radices montis ſit poſitus trans Arnum, & olim etiam extra Urbem, publico ſepulchreto erat aptiſſimus, primorum Chriſtianorum cœmeterium extitiſſe plane conſtat ex lapidibus erutis, quotieſcumque ibi humus ſuffoſſa eſt.


Lapides, qui fortuito ſunt nuper adinventi, multum profecto debent patriæ antiquitatis, totiuſque politioris

 eru-

1 In vita D. Ambroſii hortante S. Auguſtino ſcripta, quæ ipſius D. Ambroſii Opp. præfigi ſolet.

eruditionis cultori ſtudioſiſſimo Dominico M. Mannio, qui quandocumque lapis aliquis appareret, vocari curabat, ut inſcriptionem legeret, cumque mihi humaniſſime, quotquot deſcripſit, donaverit, ingenuis bonarum artium amatoribus fore, ut placerem, putavi, ſi cum aliis Florentinæ Civitatis Inſcriptionibus Chriſtianis, quotquot adhuc repertæ ſunt, in hunc cogerem locum, ubi de primitiis Florentinorum Chriſtianorum ſermo eſt inſtitutus. Porro ne quid prætermitterem, quod genio doctorum hominum eſſe gratum noverim, lapides ipſos conſului, & nonnullos etiam ligneis tabulis incidendos curavi.

I



1 Hoc fragmentum antiqui lapidis cum ſuffoſſum ſit in ſubterraneis Baſil. Laurentianæ, egregie confirmat, quod iam multis argumentis oſtendit Vincentius Borghinius in lib. de Eccleſia, & Epiſcopis Florentinis pag. 363. &c. Sermonem D. Ambroſii, cui titulum fecerunt *Exhortatio ad Virgines*, Orationem eſſe a S. Epiſcopo Florentiæ dictam, cum Laurentianam Baſilicam dedicaret, & feminam Iulianam, quam ibi laudat, tamquam de quodam D. Laurentio dedicato Templo bene meritam, Florentinam fuiſſe feminam, eam quidem ipſam, quam in Florentinæ S. Laurentii Baſilicæ Subterraneis ſepultam intelligimus iſtius lapidis ope, cuius inſcriptionem Vir ille celebratiſſimus, cuius *ſe pectore cuncta vetuſtas condidit*, Antonius Franciſcus Gorius Tom. 1. Inſcriptionum Etruriæ pag 220. ita legit: *hic requieſcit in pace Ancilla Dei Iuliana, quæ vixit &c.* Porro quod in ſummi lapidis parte viſitur A I ω Chriſtum Ieſum ſignificat; neque erit, ut puto, neceſſe adnotare veteres Chriſtianos conſueviſſe Ieſu Chriſti Monogramma inter literas A Ἄλφα, & ω Ὠμέγα ponere ad cap. 22. Apocalypſeos alludentes; de hoc enim iam multi, & noviſſime Ioannes Bottarius Vir eruditiſſimus tom. 1. Romae Subterraneæ Tab. 37.


2 HIC REQVIESCIT FELICITAS QVAE VIXIT MEN. DIES.

3 .... CE ...
...... IN SVA ......
QVI VIXIT ....
.... LXII· D· P· ..
..... ALMAI ....
.... S X̄ ....

2 & 3 Hæ duæ Inſcriptiones ex Schedis Senatoris Caroli Strozzæ deſcriptæ ſunt Cod. 12. pag. 197. ubi vir Cl. de loco unde eas habuit, ſcilicet de Aede S. Pauli, quæ Florentiæ eſt, & Carmelitæ, ut aiunt, Excalceati nunc obtinent, ſermonem habens, ita loquitur: *Non ſarei lontano dal credere, che da principio foſſe ſtata un Tempio di Gentili; ma certo è antichiſſima Chieſa, e innanzi, che vi entraſſero i Carmelitani Scalzi, era ſcritto ſu alto a man deſtra dell' Altar Maggiore* ,, *Queſta Chieſa di S. Paolo fu fatta* ,, *l' anno* 335. *al tempo di S. Salveſtro, e dello primo Veſcovo di* ,, *Firenze S. Teodoro, e di Coſtantino Imperadore, e conſecrata fu* ,, *nel* 404. *da S. Zanobi la prima* ,, *Domenica di Luglio, e nel* 1436. ,, *da Papa Eugenio fu impetrato* ,, *un perdono d' anni cinque, e cinque quarantene per lo Priore pro* ,, *tempore ſino in perpetuo il dì della* ,, *Commemorazione di S. Paolo, e* ,, *cinque quarantene di perdono in* ,, *perpetuo la prima Domenica di* ,, *Luglio. E negli ſcalini del ſopradetto Altare, che erano frammenti di diverſi marmi con iſcrizioni ſepolcrali parte di Gentili, e parte di Criſtiani, ſi leggevano:* HIC REQVIESCIT &c. Ceterum duas haſce Inſcriptiones Chriſtianorum eſſe, quoad primam ſpectat, ſuaderi poſſe videtur ex verbo REQVIESCIT: quod vero ad alteram, conſtat ex literis CE id eſt PACE: D P id eſt DEPOSIT· AL MAI id eſt KAL· MAIAS ſeu mavis MAII. Porro non deſunt quidem & Paganorum Epitaphia, in quibus Kalendae, Nonae, & Idus memorentur, raro tamen occurrunt, ſicuti nec ſatis frequens in illis eſt verbum *quieſcere*, ſed verba IN PACE in illis plane ſunt inaudita. Si quis aequiſſimam velit criticen de his ad Chriſtianos lapides cognoſcendos peculiaribus notis, adeat Antonium Lupium in Animadverſionibus ad Severae Martyris Epitaphium §. 11. per totum, & pag. 76. n. 5. pag. 104. n. 2. &c.

4 Haec Inſcriptio, quae extat in Urbanis hortis Ioſephi Mariae Brocchii, viri bonarum artium amatoris praeſtantiſſimi, & de me benefactis multis optime meriti, reperta eſt an. 1735 propter Aedes S. Felicis ad pontem Emae, & Chriſtianam eſſe ſuſpicari quis poteſt ex literis B. M. quas Gentiles, apud quos ſignificabant BENEMERENTI in fine Inſcriptionum frequentius conſueverunt ponere, in principio autem Chriſtiani, quorum in titulis ſignificabant BONAE MEMORIAE. Porro nomen FADIA haud novum eſt, etſi non ſaepe auditum. Inſcriptio ex ſchedis Fabrettianis edita a Carolo Caeſare Malvaſia in *Marmoribus Felſineis* pag. 437.

4



FADIA BONO
SA DIONYSIO
COIVGI DVL
CISSIMO. ET INCOMPARA
BILI. CVM QVO
VIXIT ANNIS
XXVI. QVI. VIX. A. P. M. L.

Alia Inſcriptio apud eumdem Malvaſiam pag. 329 & 363. ex ſchedis Zaratin Caſtellinii.

FADIA L' F SABINA
TESTAMENTO FIERI
IVSSIT

Fuit autem & *Fadiorum* Familia, de qua pluribus agit Malvaſia laudati Operis sect. VI. cap. 2. ſed de ea loqui ad rem praeſentem nihil refert. Quod ſpectat ad nomen, atque adeo ad cognomen VERIANENI, neminem latet deficiente Latina Lingua una cum Romana Republica factum eſſe, ut multa muliebria nomina hanc ſibi arrogarent terminationem: exemplis autem probare abſtineo, quod hanc Spartam luculenter ornaverit Antonius Maria Lupius §. 15. Animadverſionum ad Severae Martyris Epitaphium pag. 160.

Itaque ſatis hoc loci ſit lapidem referre, qui in hortis Gaddiorum viſitur.

Q. CAECILIVS. Ɔ. L. EROS
SIBI . ET
STATIAE. LALAGENI. PVPAE. SVAE. V. A. IV
STATIAE MELITINENI. CONIVGI. S

Demum noſtra inſcriptio formam literae A multum novitatis habentem praeſefert, ſimilis tamen occurrit, ut in inſcriptione, quam infra refero ex Lupio, ubi ita efformatur

5

B M
FL Q ROMVLIANVS
INFAS , Q , VIXIT , AN
, VI , ET , M , VII · ET
FRATRES , IPSIVS
QVI · POSITI SVNT ,
PER · SINGVLA C(E
METERIA , VER
Q , VIXIT AN , X
ET ROMANVS · Q
VIXIT AN , V
ET AVGVSTVLA
AN , III S
IN PACE

5 Haec & duae proximae Inſcriptiones erutae ſunt an. 1580. cum Nob. Vir Iacobus Roſſius Sepulchrum ſibi excinderet in templo, quod vulgo dicunt S. Felicitatis, ut ex Schedis Borghiniis monet Cl. Gorius Inſcrip. Etrur. pag. 299. Nota verba illa PER SINGVLA CEMETERIA. Quoad verbum INFAS adnotatur apud Gorium etiam in Pand. Flor. legi *praegnas* pro *praegnans*. Scilicet ſaepe antiqui omittebant N ante S, de qua re affatim Lupius pag. 109.

6

B M
LAVRENTIVS NV
MERIVS. DIACONVS
VIX · ANNOS P·M· LVDE
POSITVS· V· IDVS OCTO
IN PACE


6 Quod olim in more poſitum fuerit Diaconum diu agere, & in Sacerdotem ungi ſenili aetate, quae inferius dicturi ſumus, luculenter comprobabunt.

7

M
ACET
IIVS
CONSTANI
QVI VIXIT
ANNOS XXX
VII · DEPOSI
. . . . V
KAL · DECEM
BRES · IN · PACE

8 HIC IACET BON
MEMORIAE CARTA
CO QVE VIXI P ANNO
XXII MARITVS ERPA
CONIVCI DÍLCISSIME
TITVLVM POSVIT DE
POSITA · · · · · · · · ·

8 Haec, & quae ſequuntur inſcriptiones ex lapidibus illis ſunt, quos an. MDCCXXXVI. effoſſos eſſe novimus, cum reſtituerentur a fundamentis ſacrae aedes SS. Machabaeorum, vulgo S. Felicitatis: & honeſto in loco, ut ſentio, quamprimum collocabuntur. Porro effoſſa ſunt & alia multa tum Graecarum, tum Latinarum Inſcriptionum fragmenta; ſed fieri non poſſe, ut vel una integra inſcriptio ex eis eruatur, diuturno labore & ſtudio incaſſum inſumpto expertus ſum. Inter fragmenta Graeca inſignius viſum eſt quod ſubiicio, ubi legitur ſolemnis Chriſtiana formula, quae & in Iudaicis ſepulchralibus titulis interdum occurrit. EN ΙΡΗΝΗ *in pace*.



In quantum vero ad inſcriptionem notandi eſt in voce CONIVCI litera C pro G. quod factum videtur etiam in voce CARTACO: neque vero mirum eſt cum inter utramque literam multa ſit affinitas auctore Plutarcho in *Quaeſt. Rom.* & in Columna Roſtrata, quae erecta eſt poſt victoriam de Cartaginienſibus, relatam a Duilio numquam G apparet, ſed legitur MACISTRATOS, LECIONES, PVCNANDO, CARTACINIENSIS &c. Itaque innumerae ſunt inſcriptiones, in quibus eam ipſam literarum mutationem animadvertimus; praeterire tamen nequeo, quam ex lapide Coemeterii S. Baſillae refert Lupius pag. 134. ubi ſic legitur.

MAXIMINVS DOMINE CONIV
CI VALERIANE CVM QVEM VIXI
ANNIS II MENSIBVS V D XI
DEPOSITA VIII ID OCT P ANN XXI.

Scilicet in hoc lapide ſunt & ultima verba P ANN. XXI. quae cum verbis noſtrae inſcriptionis P ANNO XXII. conveniunt: attamen de tribus interpretationibus, quas illis Lupius dari poſſe excogitavit: PASSA ANNO XXI: POST ANNVM XXI: PERIIT ANNO XXI. nulla quidem his videtur apta, unde hic interpretarer potius PER ANNOS XXII. niſi forte ſignificet PLVS ANNORVM, aut potius legendum ſit PLVS MINVS ANNOS. nam quae poſt P ſequuntur literae, multum conſumptae ſunt, & inter ſe ligatae videntur. Nota & DÍLCISSIMAE pro DVLCISSIMAE. cum accentu.

9 B ✠ M
...IACET FVNDANIVS
.OVIANVS LEC
..R QVI VIXIT AN
NIS X ꝗI MENˢSˢ ꝗIII · D · XX
DEP IN PACE PRI D NONA
S IANVAR

☧

9 In fruſta fractus eſt hic lapis Fundano Lectori QVI VIXIT ANNIS XꝗI. ideſt XVI. poſitus. Eiuſdem aetatis erat Lector, cuius meminit inſcriptio, quae eſt inter Donianas Claſſ. 20. pag. 27. Lector an. XVIII. memoratur in inſcriptione, quae Brixiae eſt Grutero teſte pag MXLIX. edit. Amſt. an 1707. & Comes Carolus Cæſar Malvaſia in Marmoribus Felſineis sect. 8. cap 3. pag. 466. inſcriptionem refert, ubi mentio eſt Lectoris ann. XXV. verum quantum temporis mos eſſet inſumere in Ordine Lectorum dicam inferius. Quod iuvat hic adnotare illud eſt, etiam honoris cauſſa Nobiliſſimos Viros in eum cooptari conſueviſſe; Iulianum enim & Iuliani fratrem Gallum Nicomedienſis Eccleſiae Lectores fuiſſe ſcimus ex Sozomeno lib. Hiſt. 5. pag. 11. Gregorio Nazianz. Invect. 1. Socrate lib. 3. cap. 1. Porro Lectorum nemo eſt, qui meminerit ante Tertullianum, qui cap. 40. libri de Praeſcriptione, Haereticos arguens, quod Ordinibus inconſtanter uterentur: *Hodie*, inquit, *Diaconus, qui cras Lector*. Verum cum tamquam de Ordine iam ſatis vulgato tertio ineunte Eccleſiae ſeculo loquatur Tertullianus, ut etiam loquuntur haud diu poſt Tertullianum S. Cyprianus, & Cornelius Papa, vel ſecundo ſeculo Lectorum Ordo fuiſſe videtur, ideoque ab Apoſtolicis temporibus; tria enim aut ſaltem duo prima ſecula Eccleſiae, Apoſtolica tempora, & naſcentem Eccleſiam appellare communiter ſolent Eccleſiaſticarum rerum Scriptores, & ipſum certe Tridentinum Concilium, cap. 2. ſeſſionis 23. *Minorum Ordinum nomina, & miniſteria ab ipſo Eccleſiae initio in uſu fuiſſe*; & eiuſdem ſeſſ. cap. 17. *Sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Oſtiariatum functiones ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſiâ laudabiliter receptas* eſſe docens. Porro ipſa Concilii verba retuli, ut errorem detegerem Binghami, quod minores Ordines ab Apoſtolis eſſe inſtitutos ſtatuerit, non minus iniuria, quam audacter illi affingentis lib. 3. cap. 1. Orig. Eccleſ. quod opus plane eruditum, etſi minus Orthodoxum, notis auctum, & nova Latina verſione adornatum edere parant Cramer & Filibert Typographi Genevenſes.

10 H I C

MAXIMINVS· VC· TR. B

QVIESCIT IN PACE

IE· XV· KI· IVNIAS

10 Hanc Inſcriptionem ſolummodo in Schedis Mannianis legi : ſiglae VG explicari iure optimo poſſunt VIR CLARISSIMVS: de ceteris nihil dicam, quod ipſum lapidem conſulere non potui.

11 B M

EL MARTINA

PVELLA Q

VIXIT AN

NOS VI

ET M VIIII

D' P EST' VIIII

KAL DECENB'

IN PACE

11 Nota DECENBRES pro DECEMBRES. ſcilicet mutabantur invicem N & M, quod ſatis notum eſt.

12 B

HIC REQVI

MARTA QV

VIXIT ANN

P EST I DVO

12 Huius inſcriptionis lapidem nondum videram, cum eam mihi deſcriptam dedit humanitate non minus, quam doctrina, ſuſpiciendus vir Cl. Antonius Gorius, qui pariter, ubi ſepulchrales hoſce titulos fuiſſe erutos novit, diligenter deſcripſit, ut ederet tom. 3. Inſcriptionum Hetruriae in lucem propediem, ut ſperamus, prodituro.

13 Cum interdum uſurpatas noverim duas II pro E, ut adnotavit Lupius pag. 40. n. 2. & pag 88. n. 3. etiam in hac inſcriptione IACIIT pro IACET ſcriptum putabam; tamen lapidem bene conſiderans, quamvis inter C & I commodum intercederet ſpatium, haud tamen alium I, ſed levem quamdam in eo eſſe fracturam deprehendi: verum neque eſt novum I pro E inſcriptiones exhibere. Animadvertere etiam iuvat literam D pro DE, & τὸ SCOLA ſine H, demum ANNVS pro ANNOS, & quidem frequentiſſime occurrit in antiquis monumentis immutatio O & U, ſicuti videre eſt apud Noriſium Cenotaph diſſ.4 cap.4 Spanhemium de Praeſt Numiſm. diſſ. 11. aliosque bene multos; ſed Lupius pag 110. ob eam quoque cauſſam putat ſcriptum ſaepe inveniri ANNVS pro ANNOS, quod forte nomen illud declinaverint, ut SENSUS, ſaltem in vulgari loquendi uſu. Ceterum Florentini hominis minime eſſe hanc inſcriptionem ex eo conſtat, quod ſit militis DE SCOLA GENTILIVM. Scilicet inter multa ad quae traductum eſt nomen Schola & Militia eſt; unde *Schola Gentilium ſeniorum* dictum eſt a Romanis Collegium militum ex Barbaris, qui aut ex foederatis erant, aut qui in leges Romanas ultro vel deditione tranſierant. Ex Scholis Gentilium fuiſſe *Scholam Gallicam Palatii*, cuius meminit Symmachus lib. Ep. 9. Ep. 52. cenſet Iacobus Gutherius *De Officiio domus Auguſtae* lib. 3. cap. 10. qui ex Marcellino lib. 16. id quoque eruit Gentiles maximi eſſe factos in militia. Porro Schola Gentilium ſeniorū ſub Magiſtro Officiorum erat, ut conſtat ex Notitia Dignitatum Imperii Rom. ſect. 41. pag 80. iuxta edit. Pariſ. an. 1651. ex recenſione Philippi Labbe, & ſect. 65. Gentilium Sarmatarum, Suevorum, Laetorum &c. mentio occurrit. Itaque plures Gentilium ſcholae fuiſſe videntur, praecipua vero Gentilium ſeniorum, quae etiam ſolum Schola Gentilium fortaſſis dicebatur.

14 Notatu dignum eſt, quod litera D ſic ſcripta Ð, primum ſignificat DIES, deinde DEPOSITA, tertium autem DIE: Praeterea, quod tacito menſium numero dies recenſentur LIIII. demum quod REQVIESCET lapis habet pro REQVIESCIT. De conſuetudine permutandi mutuo E & I agit Reineſius Claſſ. 1. pag. 100. & alii multi ad ſatietatem.


15 Haec Inſcriptio, quam prout acceperat ab Antonio Franciſco Marmio Equite Florentino edidit totus in orbe notus Antonius Ludovicus Muratorius Claſſ. V. pag. CDI. tom. 1. Praeſtantiſſimae Veterum Inſcriptionum Collectionis, quae nunc Mediolani in lucem editum, & refert etiam eruditione non minus, quam generis nobilitate clarus Eques Franciſcus Victorius in Commentario Hiſtorico de celebri nummo aureo vulgo *il Fiorino d'oro*; ſcripta eſt ſub Auguſti Honorii Conſulatu XI. & Conſtantii II. ſcilicet an. Ch. 417. Porro Latine ſic vertitur. ENTA *hic*, KITE *iacet* MAP...A *Maria*, ΘΥΓΑΤΗΡ *filia*, IOANNOY *Ioannis*, Kω NIKEPATωN *cui* (patria locus) Ni-

Niceratum, inquit Muratorius, id quoque addens, Niceratum fortaſſis fuiſſe vicum illum apud Apameam Syriae ſitum, qui a Theodoreto Nicerte appellatur; verum quo iure vir Cl. verterit Κω ΝΙΚΕΡΑΤωΝ, *cui Niceratum*, non ſubit, & nos quidem ſine verſione in medium relinquere malumus, quam male vertere: ΕΖΗCΕΝ *vixit*, ΑΙΤΗ *annos*, ΤΡΙΑ *tres*, ΜΗ *menſes*, ΤΡΙC *tres*, ΗΜΙϹ et *ſemis*, ΠΙCΤΗ *Fidelis*, ΕΤΕΛΕ *defuncta*, ΥΤΗCΕΝ *eſt*, ΜΗ *menſis*, ΞΑΝΔΙΚΟΥ *xandici*, Δ Ϝ forte δεκατι die *decima*: Muratorius explicat *die quarta*; ſed ex malo autographo ſcribit etiam δ ¯Ε contra lapidis fidem; ΥΠΑΤΙΑ *ſub conſulatu* ΟΝΟΡΙΟΥ *Honorii*, ΑΥΓϛ *Auguſti* Τ̊ Α̃ .†. *undecimo*, ΚΑΙ *Et*, ΚΟCΤΑΝΤΙΟΥ *Coſtantii*, Τ̊ Β *ſecundo*. Dicitur autem ΠΙCΤΗ *fidelis* pupula Maria, quod iam inter fidelium numerum coaptata fuerit, utpote ſacris Baptiſmatis undis abluta: unde S. Ambroſius lib. 1. de Sacram. cap. 1. *In Chriſtiano viro*, inquit, *prima eſt fides: ideo recte Fideles dicuntur, qui baptizati ſunt*. Menſis ξandicus, ſeu ut alii habent ξanthicus, Aprili noſtro reſpondere fertur, & celeber admodum eſt in hiſtoriis, quod eius die 8. ſolemne feſtum Luſtrationis militum Ξανθικά dictum celebrabatur, de quo egregie, ut ſemper ſolet, in Graecia Feriata differit Io: Meurſius.


16 Hanc quoque Inſcriptionem accepit ab Eq. Marmio Cl. Muratorius, & edidit Claſſ. V. pag. CDIV. ſiglas L. F. quas facile eſt interpretari LVCII FILIA, explicans *Laudabilis Femina*, quod pariter ex multis exemplis probabile eſt. Porro depoſita eſt AQILIA PAVLINA SEXTO K. L. OCTOB. Conſulibus Iſodoro, & Senatore, ſcilicet an. Ch. 436. Fl. Anthemium *Iſidorum Conſulem Orientalem fuiſſe liquet ex Codice Theod. in quo eius Praefecti Praetorio Illyrici & Conſtantinop. mentio eſt lib. 11. tt. 1. p. xxxiii. & alibi ſaepiſſime*, ut ipſis utar verbis Onuphrii Panvinii in Commentario in lib 3. Faſtorum. Siglae VV CC ſignificant VIRIS CLARISSIMIS. Neque vero animadverſione indigna eſt haec Inſcriptio, quod literae Q non addat V, quod eam fortaſſis ut K pronunciaret lapidis inciſor: vel quod literam ſcribere conſueſceret pro literis literae nomen conſtituentibus, ut factum eſſe ab antiquis etiam Ioſephus Scaliger animadvertit. Demum notanda etiam ſunt puncta illa ſuper literas P & M, quae PLVS MINVS ſonant; necnon punctum illud inter K· & L· cum tamen idem verbum conſtituant: non eſt tamen novum interpunctiones ad omnes ſyllabas, imo ad omnes literas adhibitas eſſe. Mira eſt Inſcriptio, quam Lupius refert pag. 71.

COIVIGI BENEMERENTI LVCANAE
QVAE VIXIT. MECVM· A· N· NX· M· V· DX
NBVIT· A· N· N· P· L· MXXXI· V· ID AVG
LEANDER FECIT· TECVM PACE ☧ 𝒴


13


B M
HIC IAC IT
SEGETIVS
DSCOLA
GENTILIVM
QVI VIXIT
ANNVS TR
NTA ET OCTO
FEBR


14


IC REQVI
ESCET AQVILIA
VALENTINA QVAE
VIXIT ANNOS
SVB D XVIII K
DECEMBRIS
PACE

15


ΕΝΘΑΚΙΤΕΜΑ
ΑΘΥΓΑΤΗΡΙΟΑΝΝΟΥ
ΝΕΖΗΣ
ΕΝΑΙΤΗ
ΠΙΣΤΗΣ ΕΤΕΛΕ
ΥΤΗΣΕΝ ΑΝ
ΔΙΚΟΥ ΠΑΤΙ
ΑΟΝΟΡΙΟΥΑΥΓ
ΚΩΣΤΑΝΤΙ
ΟΥ ΤΒ

16


B M
HIC REQIESCIT IN
PACE AQILIA PAVLINA
QVAE VIXIT AN
NOS DEPOSITA
OCTOB
CONS ISODORO E
SENATORE
CC CON

Ceterum, ut illuc, unde diſceſsimus, revertamur, quamvis certum non ſit Frontinum & Paulinum Petri diſcipulos Florentinis omnium primos Ieſu Chriſti Fidem adnunciaviſse, haud negamus tamen eſse probabile, cum Villanius, a quo didicimus, ex antiquis Chronicis hauſiſſe narret, neque nos lateat, quod etſi Hiſtoricus ille celeberrimus antiqua proſequens erret non raro; numquam tamen commenti alicuius, aut mendacii inventor ipſe eſt, ſed ex aliis Hiſtoricis ſemper accipit, quamvis interdum decipiatur, quod vera a falſis diſtinguere aut neſciverit, aut noluerit. Porro quod narrat Villanius, referente Orlendio [1] teſtabatur etiam tabula quædam appenſa vetuſtiſſimo Templo S. Miniatis Martyris extra urbem, ut adnotatum invenitur inter MSS. Monumenta ab anno 960. ad an. 1097. Archivi Abbatiæ S. Bartholomæi Monachorum Montis Oliveti, quorum iam erat S. Miniatis Abbatia. Itaque Villanii narratio falſitatis inſimulari non poſse videtur, quamvis & ſatis probata non ſit.

Quod nullo iure affirmatur illud eſt, primum Florentinorum Epiſcopum extitiſſe Frontinum, quod tanquam a Villanio traditum refert recens quidam ceteroquin eruditus Auctor: (2) etenim illud unum teſtatur Villanius, antiquis in Chronicis inveniſse ſcriptum, Petri diſcipulos Frontinum & Paulinum Florentiam Nerone imperante Ieſu Chr. fidem primum invexiſse, ſed occulte eam docentes & paucos. Iuvat ipſa referre Hiſtorici verba; egregie enim, quam de paucitate Florentinorum Chriſtianorum ante Conſtantini tempora, una cum V. Cl. Io. Lamio diſserebam ſuperius, ſententiam confirmant. Ea igitur ſunt (3): *Ben troviamo noi*

B *per*

1 Orbis ſacri & profani Par. 2. lib. 3. cap. 34. n. 3.

2 Lucas Cerracchinius Chronologiæ Sacræ Epiſc. Flor. pag. 1.

3 Hiſt. Flor. p. 1. lib. 1. cap. 58.

per più antiche Croniche, che al tempo di Nerone Imperadore, nella noſtra Città di Firenze, e nella contrada prima fu recata da Roma la verace fede di Ieſu Criſto per Frontino, e Paolino diſcepoli di S. Pietro, ma ciò fu tacitamente, et in pochi fedeli per paura de' Vicarj, e Propoſti dello Imperadore, ch' erano Idolatri, e perſeguitavano i Criſtiani, dovunque li trovavano, e così dimorarono inſino al tempo di Goſtantino Imperadore, e di Santo Silveſtro Papa. Hæc Villanius.

Ego vero lætor profecto potius, ac iraſcar adeo clare Florentinum Frontini Epiſcopatum fictitium evinci; alias enim ingrati animi politiſſimam Civitatem arguere cogerer, quæ nullum umquam erga illum venerationis ſuæ publicum extulit monumentum.

At vero ſi quis forte plus nimio curioſus illud quoque hic noſse velit, quid igitur de Frontini, & Paulini vitæ genere ſentiendum ſit, etſi plane incerta ſunt ea omnia, quæ dici poſsunt, veriſimillimum tamen videtur, quod Paulinus ille idem ſit, ac Paulinus Lucenſis Epiſcopus, quem totius fere Thuſciae Epiſcopum fuiſse facile eſt credere, quamquam ſuae ſolum urbis, in qua obiit, & forte, utpote aut opportuna aut frequentata magis, diutius degebat, Epiſcopum faciant Lucenſes.

At vero Frontinus, quem Frentinum alii, nonnulli autem Frontonem vocant, ſunt quibus idem eſſe videtur ac Fronto Petragoricenſis Epiſcopus, quem etiam Frontinum appellari poſse Gallicani Scriptores fatentur, & iure quidem, cum Frontonis & Frontini nomina confuſa olim fuiſse compertum ſit ex Luciano diligentiſſimo antiquiſſimoque auctore [1]. Porro

1 De ſcribenda Hiſtoria Opp. tom. 2. pag. 388. Edit. Baſileenſis.

ro hæc opinio, non ſolum cum Villanio minime pugnat, qui veluti obiter a Frontino Florentiæ Chriſtianam fidem prædicatam fuiſſe teſtari videtur, quinimmo conſentit etiam egregie cum Petragoricenſis Eccleſiæ traditione, qua nixi Gallicani Scriptores Frontonem illuc tendentem per Thuſciam tranſiſſe teſtantur. Quoniam vero ex antiquis monumentis compertum mihi eſt Frontini nomen ſatis frequens fuiſſe, & ſolis coniecturis res tota nititur, qui Frontinum Florentinorum Apoſtolum a Petragoricenſi diſtinguunt, etſi patronum me non habebunt, neque tamen habebunt oppugnatorem.

Verum enimvero & de Romulo illo Sanctiſſimo Epiſcopo, quem pariter Petri diſcipulum multi dicunt, & tot urbes Epiſcopum ſuum volunt, Bergomum, Brixia, Volaterræ, Florentia, Pratum, Feſulæ autem præcipue, quid iudicandum? Qui de aliis, quod eſt rectius ſentire multi non faciunt, pro fabuloſo homine haberi ab Ioanne Lamio audacter dictitant: & tamen ipſe ego audivi non ſemel Cl. Virum profitentem, numquam id cogitaſſe, ſed tantum certum eſſe non putare, quod D. Romulus a B. Petro Apoſtolo miſſus fuerit, ut Evangelium Maiores noſtros doceret: quæ opinio, laude profecto digna eſt, non vituperatione; eamque ipſam iam propugnarunt Ieſuitae illi, qui Acta Sanctorum eruditiſſimum Bollandum ſecuti Antuerpiae ſcribunt, quos cum nemo reprehenderit, haud video quonam iure in doctorum hominum reprehenſionem poſſit incidere Cl. Lamius.

Ne quid autem loqui videar inconſulto, D. Romulum D. Petri fuiſſe diſcipulum, & a Petro Feſularum Epiſcopum conſtitutum, ecquis nam prudens homo certum eſſe velit, antiquis deficientibus monu-

mentis? Nemo Hiſtoricorum id prodidit ante D. Antoninum, & is ex Actis hauſit D. Romuli, quibus nihil reperire eſt ineptius inficetiuſque.

Sancto Epiſcopo eundem fere natalem contigiſse, ac Romanae urbis conditori Romulo mentiuntur: natum eum eſſe docent, & in Epiſcopum a Petro conſecratum ſub ipſo Neronis imperio, quod an. amplius non patuit ac 13. m. 7. d. 28. Nomina nullo umquam tempore Latinis hominibus cognita ſaepe memorant; orationes a Sancto Viro ad Deum fuſas referunt multas, quas nec auditor teſtis referre potuiſſet, & quarum aliquae ſatis clare ex Breviarii Romani Orationibus dignoſcuntur imitatae; plurima inaudita iactant prodigia eodem fere modo variis in locis acta, & inter cetera praeclarum eſt illud, quod narrant de puteo, ex quo aquam Chriſtiani, Ethnici autem ſanguinem hauriebant. Quid plura? innumeras falſitatis notas exhibent, quae extant S. Romuli Acta, & quidem ea non ſolum, quae ex Bodecenſi MS. Codice ediderunt Bollandiſtae, & nos tribus aliis MSS. Codicibus altero Bibliothecae Strozianae, altero vero Faeſulanae Canonicae (1) tertio denique Grammatophylacio Aedilium Metropolitanae Florentinae invenimus, ſed ea quoque minus inepta ex Faeſulano Codice apud Florentinium edita (2) quae cum Codicibus tribus Laurentianis (3) & altero Stroziano conveniunt, necnon quae adhuc caſtigatiora vulgarunt S. Antoninus, & Caccinius, ſcripſitque hiſce etiam cautior antiquus Monachus nomine Blaſius in opere de rebus geſtis quorumdam Etruſcorum Sanctorum, quod MS. aſſervatur in

1 Duo extant in Archivo Capituli Fæſulani vetuſta Paſſionaria: illud cuius hic memini reſtauratum fuit a quodam Can. Phola, & eſt altero quod infra laudamus ſatis vetuſtius.

2 De Prima Thuſc. Chriſtian. pag. 254.

3 Plut. 20. num. 1. & 2. Et Plut. 27. num. 1.

in Bibliotheca Laurentiana (1). Quid quod hæc caſtigatiora ex illis ineptiſſimis decurtata plane ſunt? Bene itaque ac ſapienter aſſeruit Lamius certis non niti fundamentis, qui Evangelium Florentinis adnunciaviſſe Romulum quemdam Petri diſcipulum tradunt; cum enim ex apocryphis illis Actis acceptum illud ſit, quis prudens indubium eſſe velit? Eſto vera eſſe poſſint, quæ de Sancto Epiſcopo cautiores narrarunt Hiſtorici, quis tamen ſanus homo, cum ex tam impuro fonte hauſta fuerint, certa eſſe arbitrabitur? Eſto, quod D. Romuli Acta commentis, quibus ſcatent, veras quoque addiderint narrationes, has tamen ab illis quis tuto diſcernat? *Vix invenies in illis quod prudenter credi poſſit verum eſſe, niſi forte pauca, quæ per traditionem ad poſteros propagari facilius potuerunt iis in locis, ubi peracta fuerant. Qualia ſunt, quod Romulus cum aliquot ſociis Martyrio coronatus fuit Fæſulis, ibidemque ad radicem montis ſepulturam obtinuit*: ita Bollandiſtæ. Et Cl. Vir Ioſeph Maria Brocchius Seminarii Florentini Moderator longe præſtantiſſimus, in eruditiſſimo opere de Actis Sanctorum Florentinorum D. Romuli res geſtas ſcribens, eas tantummodo, quæ forte credibiles magis videri poterant, & veriſimiles, eaſque ipſas, ne Romano Martyrologio, vetuſtæque multorum Populorum fidei adverſaretur, opere vernacula lingua ſcripto, & ad pietatem ſovendam potiſſimum facto ſcripſiſſe ingenuus diſertis verbis profitetur.

Aſt ego, qui tanti momenti hiſtoriam non inſolentiori quidem, æqua tamen & ſevera critica examinare conſtitui, quid in medium audacter afferre prætercam, quicquid de ea ſentiendum omnino eſſe cenſeo? Nec ſane dubito fore multos de incognitis re-

1 Plut. 20.

rebus ex libidine iudicare aſſuetos, qui me acriter reprehendant: Sciant illi tamen, quicumque fuerint, unius aſsis eorum rumores me eſſe æſtimaturum; etſi enim non latet, veritatis eſſe odium parere, nihilo tamen ſecius veritatem æternum amabimus, inveſtigabimus, edocebimus; eam enim non ſolum ſtudiorum noſtrorum ſcopum eſſe volumus, ſed pietatis etiam fundamentum eſſe credimus, quum pietas illa, quæ mendaciis nititur, & impoſtorum illuſionibus, haud pietas ſit, ſed ſuperſtitio.

Age vero Sanctum quemdam Virum nomine Romulum primæva Eccleſiæ ætate Fæſulis obiiſſe nemo umquam negavit; aſſerunt Bollandiſtæ, etſi Acta D. Romuli falſitatis arguunt; inficias ire numquam cogitavit Lamius, etſi a S. Petro in Etruriam miſſum fuiſſe certum non eſſe affirmavit. Enimvero publicum cultum B. Romulo ab immemorabili, ut aiunt, delatum fuiſſe fidem faciunt Altaria, Templaque plurima & antiquiſsima, quæ paſsim in Etruria eius nomini dedicata ſunt (1). Apud eruditiſſimum Ughellum (2) inſtrumentum reperitur datum an. ſal. *966.* ubi Zenobius ſecundus Fæſularum Epiſcopus ait, quod veniens in Eccleſiam B. Romuli Confeſſoris, ubi Sanctiſſimum eius Corpus quieſcebat humatum, vidit parvum numerum Clericorum, quod deſolata eſſet, & in ruinis poſita .... *cum eſſem ego Zenobius infelix, & ultimus S. Feſulanae ſedis, minimuſque omnium Servorum Chriſti Praeſul cernuus, veniens in Eccleſiam B. Ro-*

1 Ne quid de aliis Dioeceſibus dicam, quatuor modo ſunt in Dioeceſi Fæſulana D. Romulo dicata Templa, ſeptem vero in Florentina, quodque eſt Florentiæ in principe platea memoratum inveniri in Inſtrumento an. 1075. teſtatur Mannius Sigillorum Infimæ ætatis tom. 2. pag. 100.

2 Ital. Sac. Tom. 3. fol. 215. Edit. Venetæ an. 1718.

Romuli confeſſoris, ubi ſanctiſſimum eius corpus quieſcit humatum, tam ibi, quamque in Eccleſia B. Alexandri, ubi iuſtiſſimum corpus eius ſimiliter humatum iacet, vidi parvum numerum clericorum, qui Deo miniſtrare deberent, & iam præfatis Eccleſiis digne, & laudabiliter cuſtodire potuiſſent, interrogavi eos, pro qua cauſa tam parvi eſſent in numero, illi reſpondentes dixerunt: Propter deſtructionem, & diſſipationem Eccleſiae noſtrae, & propter tam gravem intentionem, & malignam, iniuſtamque ordinationem, quam ille peſſimus Vinizones egit contra te, & contra noſtram Matrem Eccleſiam, quae in praeſenti eſt modo deſolata, & in ruinis poſita. Unde neque nos, neque alii ullum ſubſidium habere poſſumus, ut hic miniſtremus &c. Ex his Eccleſiam B. Romuli, cuius meminit Ep. Zenobius, iamdiu conditam fuiſſe intelligi putant Bollandiſtæ; verum, ut alias animadvertimus, ſciendum eſt, quod D. Petro dicata illa fuit, ubi eſt condita, quamquam D. Romuli deinceps dicta fuerit, & quidem ut conſtat ex relatis Ep. Zenobii verbis ante hos ſeptingentos annos. Porro retinuit hæc Eccleſia D. Romuli nomen, ab ipſo, ut videtur, Zenobio reparata, uſque ad an. 1028. quo tempore Iacobus Bavarus Epiſcopus Fæſulanus [1] Corpus S. Romuli ex ea in Urbem tranſtulit, depoſuitque in nova Eccleſia, quam Divis Petro & Romulo nuncupaverat, & deinceps Maiorem eſſe voluit pro illa antiqua, cuius altaria duo, quorum maius S. Petro, alterum autem D. Romulo dicatum erat, illud D. Bartholomæo, hoc autem D. Stephano dedicavit. Verum, quæ hactenus dicta ſunt, D. Romuli ſanctitatem nos edocent, non autem vitæ, & mortis genus, quæ duo, alio quidem ex fonte ac ex impuriſſimo Actorum petita,

1 V. Ughellum Ital. S. tom. 3. col. 224.

ta, primus ego nunc tradam Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudioſis.

Marmorea antiquiſſima tabula pro gradu poſita Altaris Hypogei, quod Confeſſio dicitur, in Maiori Fæſularum Eccleſia, ſepulchrale hanc exhibet Inſcriptionem.

MESSIHICROMVLICORPVS LONGAINPACEQVI
ESCIT QVI XPI CVMPRIMISIVSS ASERVARETABANNIS
TVMLECTORDOMINIANNISQVIN DECIMIVSTVS ☧
CONTINVIS PROBATVSQ FVITMERITOQ IVVATVS
AECLESIAE SANCTAEDIACONIIESTORDINATVSHONORE
… TACVM IVF … TI … NISCORDFTENFRFT
A …
… XACTISII … VEMMENSIBANNO
… RELINQVENS
… CLI … HINCISSEPVTANDAEST
… E … VM … NCTISIVSTVSHABERET

Veterum monumentorum interpres doctiſſimus Philippus Bonarota (1) quem citat etiam Cl. Gorius (2) Clerici alicuius elogium hoc eſſe docet, qui a D. Romulo Petri diſcipulo, Etruriaeque Apoſtolo nomen acceperit; fuit enim hoc ab ineunte Eccleſia apud Chriſtianos ſolemne, sanctorum nomina ſibi ſumere, cum ſacro abluerentur baptiſmate. Profecto ex publicis tabulis conſtat, ea S. Epiſcopum Romulum proſecutos eſſe obſervantia utriuſque Dioeceſeos Florentinae & Faeſulanae populos, ut plurimi eius nomen geſtare honoris ſibi duxerint. Faeſulanus Canonicus nomine Romulus ſubſcriptus occurrit in Inſtrumento an. 1018. apud Ferdinandum Ughellum (3).

At vero ecquis nam extitit ſcriptor tam bonus, qui nuſquam dormitaverit? Ubi ſit dandus veritati locus, quod plane ingenui pudoris eſse non dubito, certum profecto eſt laudatum Faeſulanum lapidem nulli alii dicatum eſse Romulo, ac ipſi Romulo sanctiſſimo Faeſularum Epiſcopo, & Patrono, & hunc D. Petri diſcipulum non extitiſse, ut vulgò creditur.

Neque vero cerebroſi hominis commenta haec ſunt, ſed rem multa vetuſtate parum cognitam luci ſuae reſtituimus. Quod ad primum attinet, neminem ſane

C fore

1 Obſerv. in Fragm. vitr. tab. 17. fig. 2. pag. 115.

2 Inſcript. Antiq. &c. tom. 2. pag. 120. Porro eam Inſcriptionem & Fabrettus edidit Inſcriptionum &c. cap 5. n. 377. pag. 419. ſed nihil ad eam commentatur: quinimmo ſolum primos quinque verſus refert, & ſubdit remanere veſtigia aliorum ſex verſuum, ſed deſperatae lectionis. Reineſius claſſ. 20. pag. 978. edit. Lipſ. an. 1682. ex ſchedis Langerm. & ex Reineſio Guil. Fleetwood in ſylloge Inſcript. antiq. pag. 446. n. 7. primum tantummodo verſum referunt, & hunc quoque ſic decurtatum

MESSI ROMVLI CORPVS
IN PACE QVIESCIT.

3 Ital. S. tom. 3. col. 220.

fore puto, cui illud dictu inſolens videatur, ubi aequus animadverterit, lapidem illum ſub eo ipſo altari ſtratum iacere, ſub quo diu S. Romuli Epiſcopi corpus quievit, ab anno nimirum 1028. ad 1584. quo eminentiorem in locum illud tranſtulit celeberrimus Faeſularum Epiſcopus Franciſcus Cataneus Diaccetius (1).

Quid quod ad prima Eccleſiae ſecula ea eſt referenda ſepulchralis inſcriptio, quod etiam Bonarota optime novit, & tamen conſtat primis Eccleſiae ſeculis nemini umquam datum fuiſse non ſolum ſub Altaribus poni, verum etiam neque in Eccleſiis ipſis recondi, niſi ſanctis Viris, & Epiſcopis, & his non ante ſeculum quartum, & extra Italiam multo etiam recentius? Adde, quod ſi Meſſius Romulus, quem lapis memorat, vir ſanctus extitit a D. Romulo Epiſcopo diſtinctus, quid factum itaque eſt, ut tam conſpicuo in loco reponeretur, tantoque celebraretur elogio, duo ſanctitatis argumenta graviſsima, nuſquam autem alias de eo reperiatur memoria? Demum, quandonam ſub ipſo D. Romuli Altari collocatus eſt Meſſius ille Romulus, quem ſibi vulgus fingit? quidnam eius elogium ſub ipſa crate eſt poſitum, quae D. Romuli corpus nullo alio, quod appareat, indicatum elogio, contegebat?

Oportet profecto, ut mente ſit captus quiſquis vel ex his paucis, quam propugnamus veritatem non viderit: verum & clariorem facere eam poſſumus, & certiorem. Apud Reverendiſſimum Faeſulanae Eccleſiae Capitulum membranaceus quidam extat MS. Codex ſeptingentorum fere annorum aeta-

1 V. Ioſephum Mariam Brocchium de SS. & BB. Florentinis par. 1. pag. 11.

aetatem referens, ubi ſeſe offert antiquiſſimi ſcriptoris Homilia in feſtivitate S. Romuli Faeſularum Patroni, qua nihil inveniri umquam poterat illuſtrius monumentum, unde non ſolum apertiſſime appareat, Meſſium Romulum laudata celebratum inſcriptione, ipſum eſse S. Romulum, quem Epiſcopum, & Patronum ſuum dicunt Faeſulani, ſed etiam evidentius D. Romuli Acta arguantur falſitatis, & quod ſpectat ad ea, quae vel ſeverioribus Criticis videbantur certiora, quale eſt inter cetera ipſius ſancti Epiſcopi martyrium. Piis doctiſque viris mirifice placeam fore puto, ſi publicae luci tam illuſtre ἀνέκδοτον tradam: ex quo antiqui marmoris ſenſus, ſinceraque Romuli Sanctiſſimi Faeſularum Epiſcopi hiſtoria haberi poteſt, quam ante hos multos annos omnibus incognitam Divino munere deprehendere contigit, dum de D. Romulo, cuius hiſtoriam hoc loci delibare mens erat, quid potius dicerem ſedulus inquiro, una cum laudato Cl. Viro Ioſepho Maria Brocchio, qui pariter, etſi, ut monui, communem fidem ſollicitare ſuum eſſe noluit, ita tamen, quam propugnamus ſententiam, probat, ut falſa haberi tunc poſſe putet, cum iudicatum erit meridie non lucere.

Ceterum ante omnia animadvertendum eſt, vetuſtiſſimum Codicem, atque adeo, ut peculiari ſuo, licet barbaro, eum vocem vocabulo, Faeſulanae Eccleſiae Paſſionarium, poſt acta quaedam Martyrii SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Homiliam, de qua loquimur, exhibere. Scilicet hinc certe apparet non ſolum ipſius Homiliae auctoritas, cum ab Eccleſia palam ea legeretur, verum etiam quod quae nunc D. Romuli Acta circumferuntur, aut nullam tunc tem-

poris obtinebant fidem, aut efficta nondum extiterant: alias enim ea ipſa profecto Homiliae locum occupaſſent, quod in ceteris recentioribus Paſſionariis factum eſſe comperimus. Neque ſane officit quicquam, quod vel D. Romuli Acta in eodem libro eſſe ſupra meminerimus; ſunt enim recentiori manu ſcripta circa finem Paſſionarii, parvo in volumine, ab aliis Codicis eiuſdem ſeparato, in quo etiam eorumdem Actorum compendium extat per lectiones, ut aiunt, diſtinctum, & translationis corporis Sancti Epiſcopi narratio; poſtremo tandem catalogus Faeſulanorum Epiſcoporum ſcriptus Faeſularum Epiſcopatum obtinente Iacobo de Altovitis, qui anno ſal. 1390. ad Florentinam Cathedram translatus eſt. Itaque ſumma plane iniuria fabularum plenum volumen ſeculo XIV. exaratum intra vetuſtiſſimum Paſſionarium includere auſus eſt Faeſulanus Canonicus Torellus Phola, qui codicem illum vetuſtate contritum reſtauravit, ut ipſe Epiſtola, quam eidem Paſſionario præfixit, teſtatur [1]. Verum utinam reſtau-

1 Data eſt Epiſtola kal. Novemb. an. 1566. Porro eiuſdem rei teſtimonium dat Phola etiam in Epiſtola ad Franciſcum Diacceтium Epiſcopum Faeſulanum, cui Dialogos S. Gregorii Italice a ſe verſos dedicat, & editi ſunt Venetiis an. 1575. Itaque ubi narravit Diarium ſcripſiſſe de rebus geſtis in Concilio Tridentino, cui duobus ultimis annis interfuit, hæc ſubdit: *Dipoi, finita queſta opera, et ſopravenendo di nuovo l' otio, praticando io il noſtro choro con gli altri in Chieſa, nei ſacri, et divini offitii, et conſiderando, quando ſi leggevano le lettioni delli noſtri Santi, gli grandi, et infiniti barbariſmi, & errori, che erano nelle lezioni mattutinali, delle quali nel leggerle, non ſi cavava ordine, coſtrutto, o ſenſo alcuno, offendendo ciò non poco gli orecchi di chi aſcoltava, et non poſſendo chi leggeva con honore ſuo, non che altro, uſcirne a bene, moſſo perciò a compaſſione, et vinto da gran charità preſi della noſtra ſagreſtia gli libri, i quali contengono le hiſtorie, et vite dei Santi, gli corpi delli quali noi habbiamo in queſta noſtra ſantiſſima Chieſa, e dei quali noi facciamo gli offitii,*

reſtauraſſet tantum; non autem & deformaſſet! Temerario auſu vetuſtiſſimum Codicem paſſim emendavit; & laudata Homilia potiſſimum, ſexcentis locis maleferiati hominis ſaevitiam paſſa eſt. Vidit nimirum, vidit Phola quanti ea eſſet ponderis ad illa confutanda, quæ de D. Romulo dictitabantur, ideoque ea omnia induſtrius delevit, in quibus homilia cum ſepulchrali, quam retulimus, Inſcriptione convenire animadvertit, & forte eam ipſam quoque Inſcriptionem, ubi de Epiſcopatu mentionem feciſſe videtur, ipſe raſit: perinde quaſi egregia laus foret vulgi ſuperſtitionibus inſervire.

Aſt ego primum lituras ſedulo perluſtrare, utrum ſcilicet aliquid veteris genuinae lectionis deprehendere fas eſſet, deinde vero cum labor hic, quamvis irritus haud omnino foret, aviditatem tamen ſatiare nequiverit, vetuſtos alios Codices SS. res geſtas narrantes conſulere ſtudui; & huic diligentiae ita veritatis Auctor Deus favit, ut tandem in celeberrimo Aedilium Metropolitanae Florentinae grammatophylacio ex multis, quæ ibi aſſervantur, Paſſionariis unum

cominciando dal nostro padrone, et protettore Romolo beatiſſimo, et primo noſtro Veſcovo, et dipoi tutti gli altri, leggendo et correggendo le loro hiſtorie, le ho ridotte a termine, che non più barbare, ma latine ſi poſſono chiamare, et leggere, con haver io composto ancora di nuovo qualch' una di eſſe vite, laſciando ſtare le hiſtorie vecchie, come elle ſono, negli loro libri, ai luoghi loro. Venuto di poi fuora l' offitio nuovo ſecondo il decreto del santo Concilio Tridentino, queſta ſtate proſsima, ſe piacerà a Dio di concedermi tanto di vita, che lo poſsa fare, diſegno di ridurle ſecondo il modo dell' offitio nuovo, le quali di poi leggeremo con la beneditione di V. S. Reverendiſsima. Finite le hiſtorie, come di ſopra, delli noſtri Santi, perche l' otio non mi haveſſe a conſumare, et queſto fu poi, che V. S. Reverendiſsima fu promoſſa al Veſcovado di Fieſole, incominciai a far vulgari gli Dialoghi del magno, et ſantiſsimo Gregorio Papa &c. Rubricae Breviarii ex decreto Trident. Synodi reſtituti a Phola in Etruſcum verſae prodierunt Florent. an. 1569.

unum tandem occurrerit, ubi Homiliam a Phola interpolatam, integram illibatamque legere licuit, etſi pluribus paſſim mendis faedatam deſcriptoris incuria, quem Faeſulani Codicis Scriptore aliquanto recentiorem, longe autem negligentiorem indoctioremque eſſe compertum eſt. Porro & auctorem Homiliae, cuius nomen raſum forte fuit in Faeſulano Codice Florentinus iſte aperte enunciat hoc pacto. *Pridie nonas Iulii Natalis S. Romuli Epiſcopi Feſolanorum. Sermo Domni Theuthonis venerabilis Abbatis. Item verſus eiuſdem:*

Signifer aeterni nos audi, Romule, Regis
Hunc populumque ſimul ſancte tuere tuum.
Uſibus altitroni [1] *regis te credimus omnes,*
Promeritiſque Dei nunc pietate frui.
Quapropter petimus quo nobis Ianua Celi
Ex precibus ſanctis ſit patefacta tuis.
Ne nos interitum [2] *permittas poſcimus orcum*
Ire Dei Praeſul ac venerande Pater.
Sed quo peccatum percellit [3] *de Paradiſo*
Illuc producant acta benigna tui.

Poſt quos verſus ſtatim ſubiacet Homilia, cui tamen praefigitur *Incipit Paſſio:* Fortaſſis enim tunc temporis de Martyrio D. Romuli increbreſcebat rumor, atque adeo quot in Paſſionario Sanctorum vitae recenſebantur, Paſſiones vocandas eſſe putavit codicis ſcriptor.

Verum enimvero ecquis igitur Theutho ille Abbas Homiliae Auctor? Theuthonis ſeu Teuzonis nomen decimum circiter Eccleſiae ſeculum frequenter audiri cœptum eſt, quibus temporibus plures quidem huius nominis

1 Referunt hos verſus etiam Bollandiſtae tom. 2. Iulii pag. 253. edit. Antuerp. Hic autem legunt *altitoni*.

2 Apud Bollandiſt. *Ne nos in tetrum*.

3 Apud Bollandiſt. *propellit*.

minis Abbates memorantur, nemo tamen eſt, cui tuto hoc opus adiudicari poſſe exiſtimem, cum ex Homiliae verbis clare colligatur eius auctorem vel ortu, vel dignitate Faeſulanum fuiſſe, quodque magis quaeſtionem implicat, ad populum in antiqua Cathedrali Faeſulana ad montis radices poſita, recitatam eam eſſe videatur, non ſolum quod in ea nihil eſt, ubi reliquiarum D. Romuli ad novam Cathedralem translatio vel leviter indicetur, verum etiam quod diſerte dicat, S. Romulum in ea ipſa Eccleſia, ubi recitabatur, Clericum extitiſſe, antequam Epiſcopus fieret, eamque ipſam antequam Romulus naſceretur ob inſignes, quae ibi adhuc extabant, S. Petri reliquias, a Petro nominatam fuiſſe, & tandem non amplius a Petro, ſed a Romulo inde eſſe dictam, cum S. Romuli fama in dies magis invaluerit.

Inſtrumento donationis Regembaldi Faeſulani Epiſcopi, quod datum eſt an. 1018. Theuzus quidam ſubſcribit, qui Grammaticum, & Faeſulanae Eccleſiae Primicerium ſe vocat (1) & inſtrumento an. 1028. ſubſcribit Theuzo quidam Presbyter & Canonicus (2) quorum uterque Homiliae auctor videri facile quidem poterat, niſi Abbatem eum fuiſſe moneremur. Haec difficultas minus negotii illi faceſſeret, qui Homiliam Theuzoni vindicaret Eremitae, & Monacho Florentino, ad quem extat adhuc Petri Damiani Epiſtola (3) quique ſanctitatis fama celeberrimus poſtquam annos vixerit pluſquam centum, ex quibus pluſquam quinquaginta Monachus tranſegit, obiit an. ſal. 1064. circiter, & beati nomen iamdiu obtinet, & cultum.

Num-

1 V. Ughell. Ital. S. tom. 3. col. 220.
2 V. Ughellum Ital. S. tom. 3. col. 229.
3 Opp. tom. 1. lib. 6. ep. 30. al. tom. 3. opuſc. 51.

Numquam profecto Abbas extitit iſte Theuzo (1) ſed Graeci Latinique Scriptores Monachos omnes, praeſertim annis & morum integritate venerandos, Abbates dicere conſueverunt, unde Caſſianus Moſem & Germanum commonachos, Abbates vocat, & in Menologio SS. XX. Patres Sinaitae, quorum memoria recolitur 20. Martii ἅγιοι Α'ββάδες nuncupantur. Etiam S. Epiphanius ἔχει δὲ, inquit, ἡ ἀυτὴ μονὴ Α'ββάδε χιλίυς, καὶ χίλια κέλλια: *Continet autem Monaſterium illud Abbates mille, & mille cellulas*. Scilicet Abbas Patrem ſonat; Pater autem dicitur multis plane rationibus, ſanctitate, doctrina, ſenectute. Neque vero obſtat Florentiae Theuzónem commorari ſolitum, nihilo enim minus S. Romulum appellare Patronum potuit, cum illius patrocinio Faeſulani non ſolum gauderent, ſed etiam Florentini; unde plures in Florentina Dioeceſi vetuſtiſſimas eius nomini dicatas Eccleſias, & unam vel in Urbe decimum circiter ſeculum erectam fuiſſe neminem fugit.

Verum alterius quoque Theuzonis memoria extat, ad quem potiſſimum Homiliam pertinere ſuſpicatur Cl. Brocchius [2]. Radiolenſis Abbas ille fuit, monaſterium nimirum Faeſulano Epiſcopo tunc temporis ſubditum rexit, & ſacra eruditione haud minus inclytus, ac integritate morum S. Ioannis Gualberti optimi Inſtitutoris

res

1 Mabill. Annal. Ord. S. Benedicti lib. 57. §. 96. Theuzonem Abbatem Monaſterii Montis Amiati, ad quem extat Leonis Papæ IX. diploma apud Ughellum Ital. S. tom. 3. pag 626. edit Venetæ an. 1718. ab hoc Theuzone alium non eſſe ſuſpicari videtur. Verum ſcimus Theuzonem Florentinum an. 50. eremiticam vitam duxiſſe, unde hoc epitaphium eius ſepulchro inſcriptum eſt.

Theuzonis Monachi venerabilis oſſa quieſcunt
Praeſenti in tumulo, ſancta qui vixit in aede
Quinquaginta annis eremi velut incola fervens &c.

2 De SS. & BB. Florentinis par. 1. pag. 15.

res geſtas omnium primus ſcripſit, & S. Benedicti regulam utilibus illuſtravit commentariis. Plenam meritis animam in oſculo Domini efflavit hic Theuzo an. ſal. 1095. & Beati nomine eſt inſignitus. Neque ſane neceſſe eſt Abbatem fuiſſe, ubi Homiliam recitavit. Ut Abbatem eum diceret Florentini Codicis ſcriptor, ſatis eſt, ut Abbas aliquando fuerit, etſi eam recitaverit ſubditus Monachus, qualis ſcilicet extitit ab an. 1015. quo D. Gualbertus eum ſibi comitem adiunxit uſque ad annum, quo Radiolenſe Monaſterium erectum eſt; ſed haec, ut monui, diſputare poſſumus, non affirmare. Quod praeterire nolim illud eſt, homiliae ſtylum cum ſtylo laudatorum Commentariorum in regulam S. Benedicti, multum convenire, & hos Theuzonis Radiolenſis fetum eſſe, quoſcumque ſcriptores, qui eorum meminere, unanimiter ſentire, [1] Cl. Mabillonio excepto [2] qui cum de hoc Theuzone nihil fortaſſe noverit, Theuzoni eremitae Florentino tribuit, de eorum exemplo loquens, quos Florentiae legerat in lectiſſima Bibliotheca S. Mariae Ordinis Benedictinorum, & illud ipſum eſt, ex quo epiſtolam ad Oldericum Epiſcopum, & Praefationem deſcripſi [3] ut hoc in loco referrem unicuique copiam facturus perpendendi utrum ea, quae mihi viſa eſt, utriuſq: operis convenientia

D vera

1 Animadvertas velim, quod perperam S. Benedicti Vitam a Theuzone Radiolenſi, quem Theudum vocat, fuiſſe ſcriptam docet Carolus Du-Freſne in catalogo Auctorum, quem praefixit Gloſſario mediae & infimae Latinitatis. *Theudus S. Pauli de Radiolo Abbas ſcripſit Vitam S. Benedicti, et in eius regulam obiit* 1095. S. Io. Gualberti non S. Benedicti Vitam ſcripſit B. Theuzo Abbas Radiolenſis.

2 Annalium Ordinis S. Benedicti lib. 57. §. 96. & lib. 62. §. 6.

3 Nota quod laudati Codicis aetas quadringentorum annorum eſſe videtur. Eſt autem chart. in fol. & in fine habet quamdam Epiſtolam Petri Groſolani Archiepiſcopi Mediolanenſis. Eum legendi copia mihi facta eſt a D. Placido Francio Monaſterii S. Mariae Monacho omni humanitate, & doctrina inſtructiſſimo.

vera ſit. Porro neque conſtat quis fuerit Oldericus ille Epiſcopus, cui Theuzo cõmentariorum auctor hoc ipſum opus dedicavit. Mabillonio [1] videtur eſſe Odelricus Epiſcopus Firmanus, ad quem Petrus Damianus Epiſtolam [2] ſcribit de Eccleſia tuenda non armis, ſed precibus; at ſi hoc illi viſum eſt, quod Theuzoni eremitae iſtum Odelricum ſynchronon fuiſſe noverit, multi etiam alii huius nominis Epiſcopi ea tempeſtate floruerunt, & quidem aliqui Ordinis Sancti Benedicti fautores, ut, ne Tranſalpinos memorem Odolricum Archiepiſcopum Aurelianenſem, qui Columbenſe Monaſterium Monachis dedit [3] Odolricum Archiep. Lugdunenſem &c. Oldoricus Epiſc. Brixienſis, qui Monaſterio S. Petri in Monte pinguiores cenſus tribuit, Oldericus Epiſcopus Cremonenſis, qui Monaſterium S. Laurentii conſtruxit, & Odelricus Epiſcopus Bergomenſis, qui Abbatiam S. Michaelis Cereti a Paganis devaſtatam reſtauravit (4).

Incipit Epiſtola Teuzonis Monachi ad Oldericum Epiſcopum.

VEſtrae dilectionis prerogativa circumfluo Domno Odelrico venerabili Epiſcopo. Teuzo peccator perpetuę felicitatis obſonia. ac proprię indeficientia fidelitatis emolumenta. Quamquam mi venerande Pater beati Patris Benedicti regulę dicta, in pleriſq: videantur aperta eſſe & dilucida. tamen in quibuſdam minus ſtudioſis. & ut ita dicam imitari & ſcire nolentibus non facile ſunt patentia. ſecundum quod illorum de-

1 Loc. cit.
2 Lib. 4. Ep. 9.
3 V. Mabill. Annal. lib. 56. §. 42.
4 V. Ughell. Ital. S. tom. 4. col. 436. 539. & 592.

demonſtrant opera. Quod ſi vel leviter accedentes poſtularent introitum confeſtim ſibi quo ad interiora penetrare poſſent, oſtium invenirent apertum. Clavis enim eiuſdem oſtii continue ibidem dependens. non ſe ſubducit a manu libenter aperire volentis. Quo ſi quis ſemel intraſſe fuerit dignus. ulterius de caducis atq: terrenis incommodis non exiſtet ingratus. ſed qui ut beatus ait Gregorius deguſtare nolumus dulcedinem intus nobis paratam amamus foris miſeri famem noſtram. Propterea ego ex dictis precedentium Patrum hoc ſtrictim breviterq: perſtrinxi opuſculum non penitus à me editum, ſed ex alienis laboribus carptum. ne forte ſibi quis velit excuſationis adſciſcere malum. nudum regulae non poſſe capere textum. Deniq: eūdem textum particulari per congrua loca diviſum ordinans virgulas. quo facilius quicquid ex eo queritur inveniri poſſit prenotavi. Hanc igitur collectionem veſtrae paternitati examinandam offerre curavi. ut ſi forte ad emulorum manus delata fuerit. non ibi quicquam quod canino dente conrodient. ſed potius quod eos ab infelici pertinacia removeat. repperire queant. Valete. Explicit Epiſtola. Incipit prephatium.

Factor atq: refertor. conditor & redemptor. amator & conſolator hominum Deus quantum ſit ab hominibus colendus. timendus. atq: amandus. non lingua humana hoc dicere ſufficit. quoniam ſupra vires noſtrę imbecillitatis modus ſuę excidit dilectionis. Primo itaq: hominibus precepta dedit ne peccent. poſtea vero ſi aliquo impulſu lapſi fuerint ne de venia deſperent. Non ſolum enim expectat ut poſt culpam unuſquiſq: peccator ad eum per penitentiam redeat. ſed etiam per electos famulos ſuos vocat compellit ac reducit ad veniam. Quippe non dedignatus ſuſcipere peccatorem lapſum poſt

diſſipatam vivendo luxurioſe ſubſtantiam ſuam. qui cum in convalle lacrimarum lutea meminit ac fragilem gerere maximam. Et inde eſt quod iam poſt plurima miſericordię pietatis ſuę. peccatorib. impenſa remedia. per rectores ęcclesiarum atq: doctores. iam tandem mundo in extremis poſito ad revocandos peccatores de via ſua prava. miſit beatum Benedictum non ab homine ſed a ſe paſtorem electum. Et ſicut quondam. per Moyſen famulum ſuum de tyrannica Pharaonis poteſtate liberans populum Hebreorum eduxit eos de Ægypto in manu forti & brachio extento. ita per beatum Benedictum ſervum ſuum fidelem & obedientem a dęmonica ſervitute eripiens plurimos Xriſtianorum abducit eos de publico errore huius mundi atq: obſcuro. quatenus abſoluti atq: expediti a mundialibus laqueis. militent ſibi ſub regula vel abbate in cęnobio. ſed quia conſtat illos in hac vita corpore ſimul vivere atq: anima. ut ei ſemper probabiliter famulari valeant in utraq: ſubſtantia per religioſos atq: catholicos divites conſtruens illi congrua ac ſatis aperta cęnobia. ac per eoſdem ſufficienter addens corporalia ſupplementa. & per beatum Benedictum ſub compendio modicę regulę inſtituit eleganter virtutum atq: iuſtificationum ſuarum omnia mandata. ſi quis plane ſtudioſus lector diligenter perſpexerit totius novi ac veteris teſtamenti praecepta procul dubio ibi repperire poterit. quib. utiq: cuſtoditis. & abſq: murmurationis macula conſervatis. miſerante Deo obſervatorem ſuum ducunt ad refrigeria patrię cęleſtis. ubi ſine fine ante Dominum Deum factorem ſuum iubilabit. atq: ineffabiliter gaudebit cum ſanctis. Itaq: his Benedictus gratia Dei preventus. intuens peccatorem per corrupta huius mundi deformiter errantem velut ęquum & mulum non habentem intellectum. interim non durioribus verbis exaſperat illum. ſed leni ſuaſu demulcens.

cens. ac blanda manu palpans. mox ei imponit capiſtrum. quo eum ne ruat per concava huius periculoſiſſimae vitae atq: decliva tutius ducat ad regnum. ideoq: ut bonus paſtor peccatorem. ſeu putridum cogens ut ſurgat. noluit eum vocare privignum quod nomen vere dilectionis eſt emulum. nimirum a fetore ſuo impudentiae prolui cupiens. filium venialiter vocavit dicens. explicit prologus. Incipit expoſitio regulę beati Benedicti Abbatis &c. ſed de Homiliae auctore ſatis: ipſam iam decet Homiliam conſiderare, quam & Bollandiſtae viderunt, quamvis ex ea proficere neſciverint, panegyrim opinantes Eccleſiae ſeculo XV. recitatam (1). A Neapoli eam Antuerpiam miſerat P. Antonius Beatyllus an. 1640. ex codice, qui uno hoc titulo notabatur: *Natalis S. Romuli Epiſcopi Faeſulani:* poſt quem titulum ii ſequebantur verſus, quos ex Florentino Codice ſupra retulimus, & hinc emendavimus, & poſt hos ipſa occurrebat Homilia, cuius primam periodum cum Bollandiſtae retulerint, de qua ipſi loquerentur panegyri certior factus, inſignem eorum errorem animadverti. Ut vero neminem lateat, quae a Phola corrupta ſunt, eo magis quod Florentino Faeſulanus Codex antiquior, accuratiorique ſcriptore exaratus extet, ex ipſo quidem Faeſulano codice Homiliam diligentiſſime deſcriptam luci tradere aequum bonumque eſſe in animum induxi meum, interpolataque loca, quae rotundis literis ſcripta erunt, ex Florentino Codice ſtudioſe ſupplebo in notis, in quas & varias lectiones ex eodem Florentino Codice, ſi quae erunt haud prorſus contemnendae, coniiciam una cum notis ad ea loca, quae animadverſio-

1 Iulii tom. 2. die 6. pag. 253. edit. Antuerpienſis §. 5.

ſione, & commentario digna eſſe offendero : de ætate autem D. Romuli, eiuſque Martyrio poſt homiliam diſputabo.

Ceterum, ut ſuis ipſis oculis Faeſulani Codicis antiquitatem contemplari unuſquiſque poſſit, prima Homiliae verba, prout eam ſtudioſe ex archetypo imitatus eſt diligentiſſimus ἀντιγραφεὺς, doctis hominibus ſiſto.

SCIMUS FR̄S KMI· QUIA
QUOTIES SCŌRV̄ NATA
LITIUM DIEM AD HO
NOREM XP̄I CUIUſ P̄CEPTA

Incipit Homilia infra octavam Solemnitatis *Sancti Romuli* .·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·. (*)

S*Cimus*, *Fratres Kariſſimi*, *quia quotiens Sanctorum natalitium diem ad honorem Chriſti*, *cuius precepta ſequimur* (1) *devote celebramus*, *non eis gaudia*, *vel honorem* [2] *augemus*, *ſed noſmetipſos adiuvamus*. *Illi enim plenum*, *& perfectum gaudium in Chriſto*, *cum quo regnant poſſident ſicut ipſe promiſit in Evangelio dicens*: *Volo Pater*, *ut ubi ego ſum*, *ibi ſit & miniſter meus* (3) *Et iterum*: *Ubicumque fuerit corpus*, *illuc congregabuntur & aquilæ* (4) *Sanctorum quippe animæ non immerito aquilis comparantur*. *Sicut enim aquila in excelſum volans omnia terrena ſub pedibus relinquit ita Sanctorum animæ dum pro deſiderio cœleſtis vitæ*, *ut Chriſtum*, *qui dixit*, *Regnum meum non eſt de hoc mundo* [5] *imitentur*, *omnia*, *quæ in terris dulcia*, *vel pulchra*, *ſive delectabilia deſiderari queunt*, *contemnunt*. *Quid aliud*, *quam de terrenis ſordibus ad cœleſtem munditiam more volant aquilarum*, *unde per prophetam dicitur* (6) *Sancti qui ſperant in Domino habebunt fortitudinem aſſument pennas*, *ut aquilæ volabunt*, *& non deficient*. (7) *Et dignum valde eſt*, *Fratres mei*, *ut nos miſeri*, *qui in bonis actibus nil valemus* (8) *eorum feſta*, *qui per Sanctam converſationem Chriſto per omnia placuerunt*, *reverentiſſime celebremus*, *quatenus in die iudicii per eorum interceſſionem*

* Quidnam hoc loci ſcriptum eſſet nullo pacto deprehendi potuit.

1 Cod. Flor. *ſecuti ſunt*.

2 Codex Flor. *non eis gratiam*, *vel honores &c.*

3 V. Io. c. 12. v. 26.

4 V. Matth. c. 24. v. 28.

5 V. Io. c. 18. v 36. Verba: *ut Chriſtum*, *qui dixit Regnum meum non eſt de hoc*, in Flor. Cod. deſunt, & hoc vitium ſatis frequens in eo eſt.

6 Cod. Flor. *unde & per Prophetam &c.*

7 V. Iſa. c. 40. v. 31.

8 Cod. Flor. *vel parum*, *aut omnino nil valeamus &c.*

nem (1) *mitius quam culpa exigat nobiſcum agatur. Magna quippe apud omnipotentem Dominum obtinere poſſe* [2] *credendi ſunt, qui per hoc* (3) *ut illi perfecte placerent, omnem vitæ huius dulcedinem ſpreverunt. Inſuper & ſemetipſos reliquerunt crucifigentes carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis* (4). *De quorum collegio beatiſſimus Patronus noſter, cuius hodie feſtivitatem tripudiantes colimus extiterat Romulus, qui ab ipſis fere* (5) *crepundiis* (6) *more magni prophetæ Samuhelis Domino dicatus,* *qui*

1 Cod. Flor. *interventionem &c.*

2 Codex Flor. *Omnipotentem Deum optime poſſe &c.*

3 Cod. Flor. *pro hoc &c.*

4 V. Ep. Pauli ad Galat. 5.

5 Cod. Flor. *ferme &c.*

6 Olim in more fuiſse poſitum, ut pueri a teneriori ætate antequam ſeculi eos inquinaret lues, adoptarentur in Clerum ex Siricio ad Romanam Cathedram an. Ch. 385. evecto colligitur, qui Ep. 1. c. 9. *Quicumque itaque*, ait, *ſe Eccleſiæ vovit obſequiis a ſua infantia ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet miniſterio ſociari*: nec non ex Zoſimo Siricium poſt Anaſtaſium, & Innocentium excipiente an. Ch. 417. in Epiſt. ad Hesychium Salonitanum Epiſcopum cap. 3. ubi legitur: *Si ab infantia Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit, inter Lectores uſque vigeſimum ætatis annum continuata obſervatione perduret*: quibus legibus optime concinunt Hibernenſes Canones Spicilegii tom. 9. lib 1. cap. 9. *Puer vero ab infantia Eccleſiaſticis miniſteriis deditus, uſque ad vigeſimum ætatis ſuæ annum Lector, ſive Exorciſta ſtet*. Porro divum Cæſarium *inter ipſa infantiæ rudimenta poſt exactæ ætatis ſeptennium* ad Clerum adſcitum fuiſſe Surius teſtatur *Die 27. Auguſti*: & Eugenius Primus qui an. Ch. obiit 657. *Clericus a cunabulis* dicitur in Libro Pontificali. Ex Actis autem Provincialis Concilii Mopſueſt. habiti an. Ch. 550. quæ in Conſtantinopolitano ſecundo lecta ſunt *Collat.* 5. ediſcimus, Presbyteros duos, quorum uterque Thomas dicebatur, alterum anno ætatis quinto, alterum vero decimo Clericum factum, & Ioannem quemdam Diaconum ſimiliter decimo, & Thomam alium item Diaconum ſexto. Quinimmo ſi Cyrillo Scythopolitano credimus Analect. Græc. tom. 1. pag. 8. & 9. cui Metaphraſtes conſonat apud Coteleriun Monum. Eccl. Græcæ tom. 2. pag. 204. S. Euthymius Abbas natus an Ch. 377. Otreio Melitenſi Epiſcopo triennis oblatus eſt, & ab eo baptizatus, tonſus, & Lector Eccleſiæ factus, & in Epiſcopio acceptus & enutritus. Toletanum tandem ſecundum ob idipſum habitum an. Chr. 531. ut de puerorum Clero a parentibus mancipatorum voluntate ali-

qui [1] *in perfectiori ætate futurus eſſet, adhuc ſpecioſæ indolis puer enucleavit, ac ſine dubio regulam bonæ vitæ, quæ in libro veræ religionis digeſta iunioribus præcipit* [2] *ut ſe a venereis rebus, ab illecebris ventris, & gutturis ab immodeſto corporis cultu, & ornatu* [3] *a torpore ſomni, atque pigritiæ, ab æmulatione, & obtrectatione, invidentia, & ambitionibus* [4] *ab ipſius etiam laudis immodica cupiditate abſtineant, funditus obſervavit. Ritu denique redolentis in arbore floris adhuc in puerilibus annis poſitus fructum* [5] *boni operis prætendit, quem poſtmodum vir effectus pleniſſime propinavit. Quem ad modum enim Samuhel propheta mox ut ablactari cepit ab Anna matre ad ſerviendum in templo Domini eſt præſentatus, ita & hic Deo dilectus Romulus admodum parvæ ætatis cuſtos ſanctæ* [6] *baſilicæ conſtituitur* [7] *& vere perfectus cuſtos, qui ſic lapideum Dei templum religioſe cuſtodivit, ut ſe ipſum quoque per exhibitionem bonorum operum, quod omnipotenti Deo longe carius eſſe creditur, templum Dei*

E *effi-*

quid ſtatueretur, ſic loquitur can. 1. *De his, quos voluntas parentum a primis infantiæ annis in Clericatus officio mancipavit, ſtatuimus obſervandum, ut mox cum detonſi, vel miniſterio electorum contraditi fuerint in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentia a Præpoſito ſibi debeant erudiri*. Similia habet Toletani IV. canon 24. unde bene quidem ac ſapienter antiquam reſtaurans diſciplinam Tridentina Synodus seſs. 23. cap. 18. de Seminariis erigendis legem tulit.

1 Codex Flor. *qualis*.

2 Codex Flor. *præcepit*.

3 Cod. Flor. *Ut ſe a veneriis rebus, et gutturis, ab immodeſto corporis cultu, et ornatu aliud eorum manibus negotiis, ac torpore ſomni etc.*

4 Cod. Flor. *Et invidentia bonorum, poteſtatumque ambitionibus etc.*

5 Cod. Flor. *fructus* &c.

6 Cod. Flor. *Sacroſanctae*.

7 Homiliæ auctor aut ex traditione id accepit, aut ex aliis deperditis monumentis, niſi forte, quod ſua tempeſtate Oſtiarii primum, inde vero Lectores fierent Clerici, ex coniectura illud aſſeruit. Verum & ipſa fortaſſis Inſcriptio illud inſinuat ubi ait, Romulum iuſſa Chriſti a primis annis ſervaſſe, & tum Lectorem eſſe factū: quod egregie quidem conſonat cum iis, quæ inferius Homiliæ auctor prædicat: Romulum tam caſte ac ſobrie Eccleſiaſticam perfeciſſe cuſtodiam, ut pro ſanctitate vitæ communi conſenſu totius Cleri Lectoris munere inſignitus fuerit.

efficeret ſecundum ſententiam Apoſtoli dicentis : Neſcitis quia templum Dei eſtis , & Spiritus Sanctus habitat in vobis (1). Similiter etiam Propheta de cuſtodia noſtri interioris hominis admonet nos dicens : Omni cuſtodia obſerva cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit (2). Ipſa etiam veritas in Evangelio eos , qui ſe ab illicitis deſideriis cuſtodiunt , reges nominat , dum dicit diſcipulis : Amen dico vobis , quia multi reges , & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis , & non viderunt , & audire , quæ auditis , & non audierunt [3]. Noſtræ ſiquidem animæ in hoc mundo, ceu rates in multiſono (4) mari veliſicant , ac ſemper huc , & illuc multiplici curarum turbine impelluntur. Qui autem in tantis terrenorum motuum fluctibus immobilem in Dei ſervitio greſſum tenent , ambulantes ſcilicet in via regia , & non declinantes ad dexteram vel ſiniſtram. Quid aliud quam animam, quaſi fluctuantem navim, Deo gubernante regunt ? Quamob cauſam veraciter ſecundum Dominicam ſententiam reges dici debent , ex quorum numero beatiſſimus hic noſter patronus [5] Romulus , cuius hodierna die natalitia celebramus , eſſe creditur , qui tam caſte , ac ſobrie Eccleſiaſticam perfecit cuſtodiam , ut pro Sanctitate vitæ communi conſenſu totius Cleri [6] ad

1 V. Ep. 1, Cor. c. 3. v. 16.
2 V. Proverb. c 4. v. 23.
3 V. Luc. c. 10. v. 24.
4 Cod. Flor. *Undiſſono*.
5 Cod. Flor. *Beatiſsimus hic noſter Romulus, cuius etc.*
6 Quod Epiſcopi , immo interdum etiam Presbyteri a Clero , ſæpius autem & a populo univerſo eligerentur , aut ſaltem Cleri , & ſæpe etiam plebis opus eſſet ſuffragio , aut conſenſu , aut ſaltem teſtimonio , antequam eos obtinerent gradus , neminem ſane fugit , qui vel prima , ut aiunt , labra admoverit ſtudiis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ; verum haud ita quidem eſt cognitum , vel inferiores Ordines conſenſu Cleri conferre conſuevisse , ut factum eſſe in promovendo ad Lectoris honorem D. Romulo, Homiliæ Auctor nos monet . Iuvat igitur, quæ hanc potiſſimum con-

ad Lectoris officium [1] *in* Domini Eccleſia.

E 2 (1)

ſuetudinem monumenta confirmant non præterire. Carthaginenſe III. an. Ch. 397. canone 22. *Ut nullus ordinetur Clericus niſi probatus, vel Epiſcoporum examine, vel populi teſtimonio*. Carthaginenſe IV. an. 398. *Ut Epiſcopus ſine conſilio Clericorum ſuorum Clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam, & teſtimonium quærat*. Porro iam antea Carthaginenſis Epiſcopus celeberrimus S. Cyprianus, qui martyr occubuit an. Ch. 259. hoc ipſum ſervaſſe videtur: *In Ordinationibus Clericis, Fratres cariſſimi*, ait Ep. 33. de Aurelii ad Lectoratus Ordinem promotione Clerum plebemque certiorem faciens, *ſolemus vos ante conſulere, & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare, ſed expectanda non ſunt teſtimonia humana, cum præcedunt Divina ſuffragia*. Et Ep. 34. Clero & Plebi nunciat Celerinum Lectoratus honore decoraſſe, & ſcribit: *Exultate itaque & gaudete nobiſcum, lectis litteris noſtris, quibus ego & Collegæ mei, qui præſentes aderant referimus ad vos Celerinum fratrem noſtrum virtutibus pariter & moribus glorioſum Clero noſtro, non humana ſuffragatione, ſed Divina dignatione coniunctum*. Et infra. *Hos tamen* (Aurelium nempe & Celerinum) *Lectores interim conſtitutos ſciatis &c.* Etiam apud Socratem Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 9 invenimus ſynodicam Nicæni Concilii Epiſtolam ad Epiſcopos per AEgyptum, Lybiam, & Pentapolim conſtitutos, præcepiſſe, ut Clerici, qui ſe a Meletii Schiſmate puros integroſque ſervaverant, poteſtatem haberent eligendi, & proponendi nomina eorum, qui in clerum allegi meruiſſent. Porro D. Auguſtinus Poſſidio teſte in eius vita cap. 21. *In ordinandis Sacerdotibus, & clericis conſenſum maiorem Chriſtianorum, & Eccleſiæ conſuetudinem ſequendam arbitrabatur*. Et D. Hieronymus ad Ruſticum ſcribens: *Cum ad perfectam*, inquit, *ætatem veneris, ſi tamen vita comes fuerit, et te vel populus, vel Pontifex civitatis in clerum elegerit, agito, quæ clerici ſunt*.

1 Convenit cum Inſcriptione Homiliæ auctor, ita enim illa:

MESSI HIC ROMVLI CORPVS LONGA IN PACE QVIESCIT QVI XPI CVM PRIMIS IVSSA SERVARET AB ANNIS TVM LECTOR DOMINI &c.

Adnotare autem ne praetereas illud *tum*, ſignificare enim videtur ab ipſis quidem primis annis Lectorem factum fuiſſe D. Romulum. Scilicet quamvis Iuſtinianus Nov. 123. c. 13. Lectores ante annos ætatis duodeviginti ordinari vetuerit, οὐκ ἐπιτρέπομεν ἀναγνώστην ἐλάττονα τῶν ὀκτὼ καὶ δέκα ἐνιαυτῶν. *Fieri non permittimus Lectorem minorem decem, & octo annorum*: conſtat tamen quod antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus, vel in primo pueritiæ flore Ordinem illum conferre mos erat; *Lectorum* enim miniſterio ante pubertatis annum, qui eſt in maribus decimus quartus, ſociari vult Siricius Ep. 1. cap. 9. *qui ſe ab infantia Eccleſiæ voverint obſequiis*; pueroſque,

(1) *promoveretur* , *quem gradum per* plurima

qui *adhuc pueriliter in gradu Lectorum Chriſtianas litteras* noverant Auguſtinus memorat de Conſenſu Evang. lib. 1. c. 10. Verum neque ſolum ante pubertatis annos , ſed etiam ætate infantiæ propiore , & interdum vel in ipſa infantia inter Lectores adſcriptos eſſe olim pueros compertum eſt . *Annorum* ferme *octo Lectoris Eccleſiaſtici officium* ſuſcepit Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus, Ennodio teſte in eius vita Bibl. PP. tom. 15. & apud Bollandum die 21. Ianuarii , & de Ioanne Cabillonenſi Sidonius Apollinaris lib. 4. Ep. 25. ad Dunnulum , ita loquitur : *Lector hic primum* , *ſic miniſter altaris* , *idque ab infantia &c.* Solemne eſt , quod de Carthaginenſi Clero narrat Victor Uticenſis lib. 3. al. 5. de Perſecutione Vandalica . *Univerſus* , inquit , *Clerus Eccleſiæ Carthaginenſis fame inediaque maceratur* , *fere quingenti* , *vel amplius* . *Inter quos quam plurimi erant Lectores infantuli* , *qui audientes in Domino* , *procul exilio crudeli traduntur* . Quid quod Euthymius Abbas ab Otreio Meliteníi Epiſcopo triennis Lector eſt factus , ut ex eius vita a Cyrillo Monaco Scythopolitano deſcripta ſuperius adnotavimus? Porro idipſum quod de Divo Romulo Faeſulana inſcriptio memorat , de Divo Felice Nolano Paulinus cecinit carm. 4. *A puero inſtituit ſervire Deo . . . & primis Lector ſervivit in annis* .

1 Supple ex Cod. Flor. *In eadem Eccleſia &c.* in ea ipſa ſcilicet , cuius dictum eſt , quod cuſtos primum extitit . Notes autem hic velim vetuſtiſſimum morem , quo vigente quilibet vel inferioribus Ordinibus decorandus alicuius peculiaris Eccleſiæ miniſterio deſtinabatur . Optime Calchedonenſis Synodus , quæ an. Ch. 451. celebrata eſt Canone 6. Μηδένα ἀπολελυμένος χειροτονεῖσθαι μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον, μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν ἐκκλησιαστικῷ τάγματι· εἰ μὴ ἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως ἢ κώμης, ἢ μαρτυρίῳ, ἢ μοναστηρίῳ, ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο· τοὺς δὲ ἀπολύτως χειροτονουμένους ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἄκυρον ἔχειν τὴν τοιαύτην χειροθεσίαν, καὶ μηδαμοῦ δύνασθαι ἐνεργεῖν ἐφ' ὕβρει τοῦ χειροτονήσαντος . *Nullum abſolute ordinari convenit nec presbyteram* , *nec diaconum* , *nec omnino aliquem eorum* , *qui ſunt in ordine eccleſiaſtico* , *niſi ſpecialiter in Eccleſia civitatis* , *vel pagi* , *vel martyrio* , *vel monaſterio* , *is qui ordinetur* , *deſignetur* . *Eos autem* , *qui abſolute ordinantur* , *decrevit ſancta Synodus* , *irritam* , *ac invalidam habere eiuſmodi manuum impoſitionem* , *& nuſquam exercere ac operari poſſe ad eius qui ordinavit iniuriam* . Qui ſic ſacris Ordinibus initiabantur *locales* vocat Concilium Valentiae in Hiſpania habito can. 6. *qui localem ſe futurum primitus non ſpoponderit* , ordinari vetans . D. Leo Ep. 92. ad Ruſticum cap. 1. *Vana* , inquit , *habenda eſt ordinatio* , *quæ nec loco fundata eſt* , *nec auctoritate munita* . Etiam nunc ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi iuſſu nemo adoptatur in clerum , qui alicui Eccleſiae addictus non ſit .

ma (1) *annorum ſpatia dum cum ſumma caſtitate, atque religione cuſtodiſſet exigente ſua ſanctitate meruit diaconatus ho-*

1 De induſtria ſuppoſuit Canonicus Phola τὸ *plurima* ubi iam *quindecim*, timuit enim ne hinc colligere quis poſſet de eodem Romulo Homiliam loqui, de quo & inſcriptio:

TVM LECTOR DOMINI ANNIS QVINDECIM IVSTVS CONTINVIS PROBATVSQVE FVIT, MERITOQVE IVVATVS.

Ceterum decennis fortaſſe erat D. Romulus cum Lector eſt factus; erat enim mos, uti iam diximus, pueros tenerioris ætatis in eum ordinem aſciſcere, & cum quindecim annis in eo conſtitutus permanſerit, ad eam ætatem ita perveniſſe videtur, quam alibi Eccleſiaſticas expoſtulaſſe ſanctiones animadvertimus, ut quis Diaconatus ordine, quem ſolum, poſt illum Lectoratus ſuſcepit Romulus, decorari poſſet. Ceterum ſilentio præterire nolim, neminem, ni fallor, occurrere, qui ad altiores gradus aſcenſurus in Lectoratu moratus fuerit tam diu, quam moratus eſt D. Romulus, niſi forte is ſit Theodorus Diaconus Alexandrinus, qui in eo libello ſupplici, quem Calchedonenſi Synodo obtulit Art. 2. conteſtabatur: *Quindecim annos in eodem Clero permanſi ſperans & maiorem honorem mereri*. Verum diu in eo manere Clericos conſueviſſe certum eſt. Decem annis Lector extitit Cato Presbyter, uti Arvernenſi Epiſcopatu decoratus de ſe ipſe fatebatur Gregorio Turonenſi auctore Hiſt. Franc. lib. 4. cap 6. & decem pariter annos in eo gradu egiſſe D. Io. Chryſoſtomum ex eius vitæ hiſtoria conſtat a Gotifredo Hermontio ſcripta lib. 1. cap. 8. & 19. Porro Ioannes Cabillonenſis Epiſcopus, etſi quot annis Lector permanſerit clare non dicat Sidonius lib. 4. cap 25. ita tamen loquitur, ut intelligatur, quod diu talis fuit: *Lector*, inquit, *hic primum, ſic miniſter altaris, idque ab infantia, poſt laborum temporumque proceſſum Archidiaconus*. Porro Siricius toties laudatus, etſi adulta ætate Clero nomen dantes in Lectorum Exorciſtarum miniſterio biennium ſolummodo conſumere permittit, eos tamen, qui ſe ab infantia obſequiis Eccleſiæ voverint Lectorum miniſterio ſociari vult, & in eo manere uſque ad acceſſum adoleſcentiæ, qua phraſi vigeſimum forte ætatis annum ſignificavit: Zoſimus enim paucos poſt annos diſerte iuſſit, quis *ſi ab Infantia Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit inter Lectores uſque ad vigeſimum ætatis annum continuata obſervatione perduret*. At enim ecquid tam diuturna in inferioribus Ordinibus mora? Satisfacit quæſtioni Innoc. Ep. 4. cap. 5 *Nec cito quilibet Lector, cito Acolythus, cito Diaconus, cito Sacerdos fiat. Quia in minoribus officiis ſi diu perdurent, et vita eorum pariter, et obſequia eorum comprobantur*. Quoniam vero Eccleſiaſticæ inſtitutionis ſunt, quae ſervantur ab uno Ordine ad alium temporum interſtitia, haud mirum ſi in dies magis con-

honore exaltari (1). *Quod officium cum Chriſti miles cum præcipua humilitate ſuſcepiſſet favente Dei clementia tam idipſum*

tracta deinceps fuerint, & neceſſitate urgente interdum ferme omnino praetermiſſa, ut videre eſt apud Thomaſſinum de Beneficiis par. 1. lib. 1. cap. 36. & par. 2. lib. 1. cap. 86. §. 11. & apud Edmundum Martene de Antiq. Eccleſiae Ritibus par. 2. lib. 1. cap. 8. art. 3. Quae ex Romana Synodo ſub Sylveſtro habita decreta circumferuntur ad doctrinam de interſtitiis pertinentia memoranda non cenſui, quod apocrypha eſſe videantur.

1 Quam appoſite ſapiens Orator ad Inſcriptionis verba!

TVM LECTOR DOMINI ANNIS QVINDECIM IVSTVS CONTINVIS, PROBATVSQVE FVIT, MERITOQ. IVVATVS AECCLESIAE SANCTAE DIACONII EST ORDINATVS HONORE.

Porro Cod. Flor. habet pro *exaltari*, *ſublimari*, & quamvis tam Inſcriptio quam Homilia, quarum utraque de Diaconatu D. Romuli poſt Lectoratum ſuſcepto teſtimonium perhibet, annum ætatis prætereant, quo ad illum evectus eſt ſacrum Ordinem, certe ſi aliquid ex coniecturis eruere liceat, cum quindecim annis vir Sanctus inter Lectores, quem locum pueris infantiæ propioribus, quam pubertati, tradebant Epiſcopi, extiterit, credibile valde eſt, quod initiatus ſit Diaconus an. ætatis ſuæ circiter 25. quem quidem tum canonicæ cum civiles leges eos impleſſe olim iubebant, qui Diaconibus adnumerari voluiſſent. Concilium Carthag. III. c. 4. *Placuit, ut ante viginti quinque annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec virgines conſecrentur*. Concil. Agathenſe c. 16. *Epiſcopus benedictionem Diaconatus minoribus quam viginti quinque annorum penitus non committat*. Arelatenſe IV. c. 1. *Nullus Epiſcoporum Diaconum antequam viginti quinque annos impleat ordinare præſumat*. Tolet. II. c. 1. *Quod ſi inculpabiliter ac inoffenſe vigeſimum, & quintum annum ætatis ſuæ peregerint ad Diaconatus officium, ſi ſcienter implere poſſe ab Epiſcopo comprobentur, promoveri debent*. Tolet. IV. c. 20. *A viginti, & quinque annis ætatis Levitæ conſecrentur*. Trullanum c. 14. ὁμοίως μήτε διάκονος πρὸ τῶν εἴκοσι πέντε ἐτῶν χειροτονείσθω, *Similiter nec Diaconus ante viginti quinque annos ordinetur*. Eccleſiaſticis hiſce ſanctionibus concinit Iuſtinianus Novell. 123. c. 13. πρεσβύτερον ἐλάττονα τῶν τριάκοντα ἐνιαυτῶν γίνεσθαι οὐκ ἐπιτρέπομεν, ἀλλ' οὐδὲ διάκονον ἢ ὑποδιάκονον ἥττονα τῶν εἰκοσιπέντε. *Presbyterum minorem triginta quinque annorum fieri non permittimus: ſed neque Diaconum aut hypodiaconum minorem viginti quinque*. Porro ita diligenter id olim ſervatum extitit, ut vel undecimo Eccleſiae ſeculo S. Benno Miſnenſis Epiſcopus ad Levitarum gradum an. aetatis vigeſimo quinto evectus occurrat apud Surium die 16. Iunii: & *vix unius*

idipſum ſtudioſe peregit, ut omnes tunc maiores in eadem Eccleſia (1) *ſibi per gratitudinem obedientiæ, minores vero per dulcedinem caritatis benevolos redderet* [2] *: hoc quoque divinitus actum eſſe creditur, ut idem Deo dilectus, qui poſt*

cuiuſdam in univerſa hiſtoria Eccleſiaſtica exemplum invenias, qui ante viceſimum quintum aetatis annum ordinatus ſit ; admonente Binghamo Orig. Eccleſ. lib 2. cap. 20. §. 20. Verum eiuſmodi exempla, rariſſima quidem ſunt, haud tamen nulla: etenim Beda aetatis anno 19. Diaconus eſt ordinatus, vigeſimo autem S. Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus, ut de hoc ex Ennodio in eius Vita, de illo autem ex ipſius Hiſtor. Angl. lib. 5. cap. 25. conſtat, ne recentioris aevi exempla memorem, S. Malachiae, qui vigeſimo quinto aetatis anno iunior Levita eſt factus teſte D. Bernardo in eius Vita cap. 3. & Orderici Vitalis, qui duodeviginti annos natus eum gradum obtinuit, ut de ſe ipſe fatetur in fine Hiſtoriae Eccleſiaſticae, quam in volumine Hiſtoricorum Normanniae publica luce donavit Duſchenius, cap. 9. & 10. Ceterum Siricius Ep. 1. cap. 8. vel trigeſimum aetatis annum expoſcebat, ut quis ad Diaconi gradum aſcenderet, ſed eiuſmodi legis decretum non memini ullibi obtinuiſſe, praeterquam Arelati ſeculo Eccleſiae ſexto ineunte, Caeſarius enim qui illius urbis Cathedram implevit an. 502. Cypriano eius diſcipulo, & eius Vitae auctore narrante, numquam in Eccleſia ſua Diaconum ordinavit triginta annorum aetate minorem. Quod tamen neque ſane ob Siricii legem feciſſe videtur, ſed potius, ut quoad poſſet magis, probatiſſimis Clericis ſuam ditaret Eccleſiam, Arelatenſe enim IV. cui ipſe praefuit an. 524. alias ſtatuiſſe viſum eſt ſupra.

1 Cod. Flor. *in Eccleſia &c.*

2 Puta Epiſcopum, & Presbyteros, quibus tantum honoris Diaconi exhibebant, ut nec ſedere apud eos, ſaltem non invitati potuerint Bingh. Orig. Eccl. lib. 2. cap. 20. §. 1. Item & Diaconos ipſos, qui ordinationis tempore priores erant: præſertim vero Archidiaconum, dummodo eam dignitatem Faeſulana Eccleſia tunc temporis habuerit, ut quidem olim comperimus habuiſſe ex pluribus Inſtrumentis apud Ughellum, ubi Epiſcoporum Faeſulanorum Catalogum texit Ital. S. tom. 3. Scilicet Zenobius II. Faeſulanus Epiſcopus Adaraldi Archidiaconi meminit in inſtrumento an. 966. cui & ipſe Adaraldus ſubſcribit. Porro Inſtrumento Regembaldi Faeſulani Epiſcop an 1018. ſicuti quoque duobus inſtrumentis Iacobi Bavari Faeſulani item Epiſcopi altero an. 1028 altero vero an. 1032. conſenſit Raynerius Archidiaconus Faeſulanus. Et Rozo alius eiuſdem Eccleſiae Archidiaconus ſubſcribit an. 1072. Epiſcopi Traſmundi inſtrumento, cuius meminit Ammiratus in Catal. Epiſc. Faeſul. & quod ab exemplo a me accepto edidit Mannius Sigillorum Infimae Aet. tom. 5. pag. 67.

poſt aliquantos annos ipſius Eccleſiæ præſul futurus erat eximius, ſeriatim per Eccleſiaſticos gradus ad infulas Epiſcopales perveniſset, quo videlicet tanto efficacius, ac congruentius vitam ſubditorum quandoque prælatus diiudicaret, quanto ſe ipſum conſtaret experimento didiciſſe regulam ſubiectionis [1].

Simulque & incentiva vitiorum, cum quibus præcipue Deo famulando in iuvenili ætate pugnaverat, atque in ſemetipſo calcaverat, iter poſtmodum aliis prædicaret, unde etiam Dominus in Pentatheuco per Moyſen præcipit, ut Levitæ a viginti quinque annis, & ſupra miniſtrare debeant, quinquageſimo vero anno cuſtodes vaſorum fiant [2]: *hoc procul dubio demonſtrans, quod hi qui ſacris ordinibus applicandi ſunt, primitus in iuvenilibus annis lu-*

erudite, ut ſolet, explicans ſigillum alterius Archidiaconi Faeſulani nomine Guidonis. Eamdem dignitatem obtinuit etiam Ioannes Adimarius, qui eam abdicavit Ordinem S. Dominici amplexatus, ut conſtat ex Necrologio Monaſt. S. M. Novellae, quod eius mortem conſignat an 1348. & cuiuſdam Bencivenni Archidiaconi Faeſulani mentio eſt in inſtrumento dato ſub die 21. Novemb. an. 1317. apud Io: Renzium tom. 3. inſignis Collectionis veterum Inſtrumentorum, quam MS. poſſidet Familia Magnaniorum Gerbiorum. Demum celeberrima eſt memoria S. Andreae Scoti Archidiaconi Faeſulani, qui nono ſaeculo ineunte claruit: Eius Vitam edidit Puccinellus Mediolani an. 1645.

1 Cod. Flor. *regula ſubiectionis.*

2 Numer. cap. 8. verſ. 24. *Hac eſt lex Levitarum: a viginti quinque annis, & ſupra, ingredientur, ut miniſtrent in Tabernaculo foederis.* Concinit Paralipomenon lib. 1. 13. 24. & lib. 1. Eſdrae 3. 8. ſed repugnare videtur, quod legitur Num. cap. 4. verſ. 3. *A trigeſimo anno & ſupra uſque ad quinquageſimum annum, omnium qui ingrediuntur, ut ſtent et miniſtrent in Tabernaculo foederis.* Verum niſi Hebraicum textum, quem vulgata ſecuta eſt, ſolicitare liceat ex verſione 70. quae hoc etiam in loco legit: *A vigeſimo quinto anno et ſupra*; reſpondetur Levitas an. aet. 25. intra atrium admiſſos fuiſſe veluti tyrocinium quoddam ſub ſenioribus Levitis acturos, cum tamen munere ſuo re ipſa fungi ante an. aet. 30. non inciperent: aut potius & 30. & 25. annorum Levitas a Moyſe conſtitutos fuiſſe, hos ut leviora ſubirent Levitici miniſterii onera, illos graviora: porro Davidis tempore & deinceps graviora illa officia Levitarum cum deſierint, factum eſſe

luctari cum vitiis, ac deſideria carnis expugnare debent, ut poſt domationem carnis iure, iam quaſi pugna [1] *devicta, temptationibus liberi, cuſtodes vaſorum, ideſt Sanctarum animarum, quæ Sedes, & templum Dei ſunt ordinentur. Scriptum eſt enim: Anima Iuſti ſedes eſt ſapientiæ; Et iterum: Templum Dei sanctum eſt, quod eſtis vos* (2). *Unuſquiſque autem, qui Deo largiente ſuam primo ſtuduerit a vitiis purificare animam, poterit ſtatim conſequenter etiam proximorum animas ad vitam erudire perpetuam. Quoniam ſine dubio tanto efficacius aliquis docet, quanto idipſum, quod prædicatur, in ſemetipſo* (3) *comprobavit. Unde beatus Gregorius ait: Durum eſt, ut qui neſcit tenere moderamina vitæ propriæ, iudex fiat alienæ.*

Et qui prædicat, quæ non facit ſeipſum damnat: Ipſe quoque Dominus in Evangelio, ut oſtenderet neque neophitos, neque rudes Sacerdotale officium debere præſumere ad diſcipulos ait [4] *: Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecū eſtis. A quibus ſententiis hic venerandus, ac Deo dignus noſter patronus Romulus nil deviaſſe credendus eſt, cum primo palam* oſtiarius (5) *Sacroſanctæ Baſilicæ conſtituitur, gra-*

F *pro*

ut Levitae an. 25. eligerentur.

1 Cod. Flor. *quasi grandevi ætate.*

2 V. Ep. 2. ad Cor. cap. 6. verſ. 16.

3 Cod. Flor. *in ſemetipſo prædicavit.*

4 V. Io cap. 15. v. 27.

5 Cod. Flor. *Paramonario*, pro *Paramonarios*, ſeu, ut in Faeſulano codice ſcriptum fuiſse animadverti, *Paramonarius*: ſic autem & alibi *Romulo* pro *Romulus*, & certe paſſim peculiari utitur orthographia Flor. Cod. quae interdum & elegantiam ſapit, & antiquitatem. Verum enim vero, quod ſpectat ad vocem *Paramonarios*, quam frequens in Eccleſiaſticis monumentis offendimus, de ea multi quidem locuti ſunt, nemo tamen hactenus ſatis, ut puto, diligenter. Meurſio in Gloſsario Graeco barbaro, & duobus fratribus Macris in Hierolexico Παραμονάριος eſt *Adminiſter Monaſterii*. Chriſtophorus Iuſtellus pag. 91. Tom. 2. Bibliothecae Iuris Canonici veteris, quam Henricus Iuſtellus filius edidit Pariſiis an. 1661. *Paramonarii*, inquit, *ſunt villici, ſeu actores poſseſſionum*. Haud diſſentit Suicerus in Theſauro: & Beveregius in Not. ad Conc. Calchedonenſis can. 2. pag. 109. ſcribit: Παραμονάριος *omni procul dubio aliquem re-*

rum Eccleſiaſticarum adminiſtratorem ſignificat. Sed longe alia eſt Caroli Du-Freſne ſententia : Παραμονάριοι, *ſeu* Προσμανάριοι, utrumque enim dicunt Graeci, iidem ſunt eruditiſſimo viro ac Manſionarii Eccleſiarum; quod multis certe comprobat exemplis, quibus hunc Homiliae noſtrae locum licet addere : Paramonarius enim hic dicitur S. Romulus ob munus illud, quo Eccleſiae cuſtos alibi dicitur non ſemel. Porro monumentum ubi vox *Paramonarius* occurrat nullum ſubit vetuſtius Canone 2. Colchedonenſis Concilii, qui Παραμονάριον, ſeu, ut eſt in Graeco textu apud Labbe tom. 4. Conc. col. 1681. edit. Venet. Προσμανάριον eos inter recenſet, qui ſub Canone erant, ſub Eccleſiaſticis nimirum ſanctionibus, non autem in Cleri ordine, & eius officium citra ſimoniae piaculum pretio addici non poſſe admonet. Dionyſius Exiguus canonem hunc in Latinum vertens τὸ Παραμονάριον reddit *Manſionarium*, quod ſententiam Du-Freſne egregie quidem confirmat. At vero, ni fallor, non eodem ſemper modo acceptae apud omnes fuiſſe videntur voces Παραμονάριος, & *Manſionarius*. Quinimmo quilibet Eccleſiae alicuius ſervitio mancipatus iis nominibus appellari potuit, Παραμονάριος enim, ſeu Προσμανάριος, a Παραμένω, ſeu Προσμένω, Lat. *maneo*, quid aliud quam aſſiduam Paramonarii in Eccleſia ſibi commendata manſionem ſignificat? Recentiori itaque aetate vel Oſtiariis id nominis tributum fuiſſe ſuaderi facile poteſt ex eo quod in ora libri Dionyſianae verſionis, vox *Manſionarium*, qua Dionyſius Graecam vocem Παραμονάριον reddidit, *Oſtiarium* explicetur. Et quidem, cum Manſionariorum fuerit Eccleſiae clavium curam gerere, eamque aperire, & claudere, campanam pulſare, lampades accendere, & extinguere, philacteria, & ipſas etiam ſanctorum reliquias cuſtodire, ut ex D. Gregorio lib. 3. ep. 50. ex Leone Oſtienſi lib. 12. cap. 34. & lib. 4. cap. 33. & ex Conſtitutionibus Lateranenſibus iuſſu Gregorii XI. editis, & a Mabillonio recuſis in appendice ad Ordinem Romanum pag. 576. aliiſque Eccleſiaſticis colligitur monumentis; haec omnia munia puerum, qualis erat Romulus, cum Paramonarium ageret, exequi potuiſſe neutiquam ſane credibile eſt : quamobrem audacter quidem, haud tamen ſenſu prorſus alieno ab Homiliae auctoris mente, ſuppoſitum fuiſſe crediderim a Canonico Phola τὸ *Oſtiarius*, ubi erat *Paramonarius*, quam vocem ob eam forte cauſſam expulit, quod paucos fore exiſtimaverit, quid ſibi ea vellet, haud ignaros. Favet coniecturae ipſum Manſionarii munus pueros geſſiſſe nuſquam occurrere, ſed Diaconos, ut a Gregorio diſcimus Dial. 3. cap. 25. necnon presbyteros ut ex D. Hieronymo in Epitaphio Nepotiani colligit Thomaſs. de Benef. Par. 1. lib. 2. cap. 1. §. 15. & conſtat ex veteri hiſtoria Inventionis S. Priſci apud Ughellum Ital. Sacr. edit. Venet. tom. 8. nec non ex charta anni 975. Caſaurienſis Tabularii a Du-Freſne in Gloſſario Latino laudata, cui ſubſcribit *Scambertus Presbyter Monachus et Manſionarius*, et demum ex alia quoque charta apud Petrum Mariam Campum in Hiſt. Eccl. Placentinae tom. 2. pag. 237. ubi legitur : *Inſtituit in Eccleſia Sancti Gervaſii beneficium unum Sacer-*

datim ad lectoris officium, ac deinde ad diaconii promotus eſt ordinem. Patet nobis, Fratres mei, quia Diaconus graecum nomen eſt, & in latino ſonat miniſter [1]. *Chriſtus in Evangelio ſuis ſequacibus loquitur dicens. Qui michi miniſtrat me ſequatur. Penſemus ergo nunc fratres, qualiter hic beatiſſimus Chriſti diaconus vel miniſter Romulus Salvatorem noſtram, qui ſe in alio loco confirmavit, fore viam veritatem* [2] *& vitam in ſe credentium, ſecutus ſit, vitamque noſtram prout Deus adiuverit exemplo illius ad meliora conformemus. Non enim incaſſum quotidie canon divinus, ſive geſta diverſorum recitantur nobis in Eccleſia Sanctorum, ſed quaecumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſola-*

dotale, quod Manſionarium nuncupavit. Scilicet poſt 10. ſeculum Manſionarii nomen inferioribus Chori Beneficiariis tribuitur, ut animadvertit Thomaſſinus Par. 1. lib. 3. cap. 70. n. 11. Porro plures Manſionariorum gradus fuiſse videntur, cum primi Manſionarii, iuniorumque Manſionariorum meminerit Ordo Romanus a Mabillonio editus Muſei Italici tom. 2. Sed haec longiorem quidem efflagitarent diſputationem, cui non eſt hic locus, etenim progreſſu temporis *Paramonarii*, & *Manſionarii* nomen iis omnibus, qui aſſidue in Eccleſiis cuſtodiendis verſarentur, traditum eſſe videtur. Quod praeterire nolim illud eſt, ab infimo Oſtiarii munere ad Presbyteratum aſcendere morem eſſe vetuſtiſſimum. D. Paulinus Epiſt. 6. *Ab Aeditui*, inquit, *nomine et officio optavi ſacram incipere ſervitutem*. In Ep. Cornelii Papae πυλωροί, id eſt *Oſtiarii* nominantur, ut etiam in Ep. ad Antioch. quae D. Ignatio tribuitur, nec non lib. 3. cap. 11. Conſt. Apoſtolicarum, apocryphis quidem libris, ſed antiquiſsimis. Epiphanius Expoſit. Fid. n. 21. & Laodicaenum Concilium c. 24 θυρωρούς, id eſt *Oſtiarios* memorant, & de Oſtiariis Eccleſiae Conſtantinopolitanae inſigne teſtimonium dicit Iuſtinianus Novel. 111. c. 1.

1 Διάκονος a κονέω, id eſt *feſtino*, *miniſtro*, unde latiori ſenſu, vel ipſi Epiſcopi, & Presbyteri utpote qui Deo miniſtrent huiuſmodi appellati ſunt nomine in Graeco textu Act. 1. 25. 1. Cor. 3. 5. & 2. Cor. 6 4. 2. Timot 4 5. Epheſ. 3. 25 *Tunc nomina adhuc erant communia, atque ipſe etiam Epiſcopus vocabatur Diaconus*. Τότε τέως ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμασι, καὶ διάκονος ὁ ἐπίσκοπος ἐλέγετο, ait D. Io: Chryſoſt. Homilia 1. in Ep. ad Philipp. cap. 1.

2 Cod. Flor. *viam veritatis & vitae*.

ſolationem ſcripturarum ſpem habeamus, utque in Sanctorum converſationibus, tamquam in ſpeculo noſmetipſos inſpiciamus, & ubi noſter actus cum eorum vita concordat illic nos ſtare ad ſalutem credamus. Ubi vero diſcordat ibidem procul dubio nos errare ſciamus.

Chriſtus quippe Dei Filius, qui per operationem Sancti Spiritus de beata Maria Virgine abſque omni peccato conceptus, & natus eſt verus per omnia Deus ex Deo Patre, ac verus homo per omnia ſine omni contagione alicuius peccati ipſe penitus carnale contagium contempſit, & evitavit. Idque ſuis diſcipulis evitandum indixit his verbis (1). *Sint lumbi veſtri praecincti, & lucernae ardentes in manibus veſtris. In qua caſtitate beatum Romulum Chriſti veſtigia ſecutum eſſe nemo dubitet* (2) *perpendens, quod ille, ad cuius ſepulchrum tot miracula Chriſtus operatur, nonniſi immaculatus, & operatus iuſtitiam* (3) *cœlum potuiſſet ingredi, ſicut pſalmographus teſtatur* (4), *ſub interrogatione, & reſponſione dicens* (5): *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte Sancto tuo?* (6) *qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam. Quod autem hic idem beatus* athleta (7) *Chriſti Romulus mundum ſecundum Chriſti veſtigia prout* (8) *Pilato dixit*: (9) *Regnum meum non eſt de hoc mundo, contempſerit, nil refert* (10) *inſerere, vel ſilogiſmicis ventilare concluſionibus* [11] *cum luce clarius conſtet, omnique Deum quærenti animæ pateat; neminem perfecte poſſe diligere illud, ad quod vocamur niſi*

1 Lucae 12. verſ. 35.
2 Cod. Flor. *nemo exitet: id eſt haeſitet.*
3 Cod. Flor. *operatur iuſtitiae*, id eſt *operator etc.*
4 Cod. Flor. *atteſtatur.*
5 Pſal. 14. v. 1.
6 Cod. Flor. *et ſtatim: qui &c.*
7 Cod. Flor. *confeſſor.*
8 Cod. Flor. *veſtigia, qui Pilato &c.*
9 Io. c. 18. v. 36.
10 Cod. Flor. *referet.*
11 Cod. Flor. *vel ſillogiſticis ventilare collationibus.*

niſi illud oderit, unde revocamur, ſicut & ipſe Dominus dicit (1): *Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ; Vocamur autem ad perfectam naturam humanam, qualem ante quam peccaſſet protoplauſto Deus ineſſe conceſſit. Revocamur vero ab eius dilectione, quam peccando meruimus. Quare ſi veraciter nos ipſos ſalvare volumus ipſa docet ratio, ut odiamus* (2) *unde liberari optamus.*

Non enim mundiales neceſſitudines nemo [3] *odiſſe poteſt, quiſquis æternitatis* [4] *amore flagraverit; hoc quoque, quod præ cunctis aliis præceptis Dominus in Evangelio arduum videlicet ſermonem propoſuit* [5], *& opere complevit, quod eſt: Maiorem* [6] *Karitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat pro ovibus ſuis. Sicut ipſe Dominus fecit, dum in Cruce aſcendit, & noſtra lavit delicta*[7]. *Iſte*[8]*beatus Confeſſor Romulus in cura paſtoralis regiminis, quam poſtmodum* libens (9)

pro

1 Matth. c. 6. v. 24. Luc. 16. v. 13.
2 Sic etiam Cod. Flor. [redacted]
3 Cod. Flor. *non.*
4 Cod. *neceſſitatis.*
5 Cod. Flor. *Quod pro cunctis aliis preceptis Dominus in Evangelio arduum ſermone propoſuit, et opere complevit &c.*
6 Io. c. 15. v. 13.
7 Cod. Flor. *Dum in Cruce facinorum lavit delicta.*
8 Cod. Flor. *Ipſa &c.*
9 Cod. Flor. *ſenex.* Age vero etſi vel quod ſpectatae ſapientiae ſenes deeſſent vel ob ſingularia alicuius merita, quae annorum defectum ſupplerent sancti quidam non defuerint viri iuniori aetate ad Epiſcopalem dignitatem evecti, quales inter ceteros, quorum erudite meminit Binghamus Orig. Eccl. lib. 2. cap. 10. recenſentur S. Remigius, qui annos natus viginti duo Epiſcopus Rhemenſis eſt renunciatus teſte Hincmaro in eius vita apud Baron. an. 470. & Eleutherius, qui viginti annos natus Illirici Epiſcopus eſt factus teſte Niceph. lib. 3. c. 29. quod tamen in more poſitum erat, quin, etiam lege ſtatutum illud eſt, ne quis infra triceſimum aetatis annum crearetur Epiſcopus. Concilium Agathenſe c. 17. *Presbyterum, vel Epiſcopum ante triginta annos, nullus Metropolitanorum ordinare praeſumat.* Idipſum ex Toletano IV. licet colligere, et Neocaeſarienſi cap. 11. cum velint, quod neque ullus Presbyter trigeſimo ætatis anno ſit iunior. V. Thomaſſinum de Beneficiis P. 1. lib. 2. a cap. 67 ad 70. et Edmundum Martene de

pro communi fratrum ſalute ſuſcepit, adimpleſſe non dubitatur. Duo enim ſunt martyrum (1) genera; unum in ſanguinis effuſione; alterum in proximorum compaſſione.

Et certe qualiſcumque paſtor in Sancta Eccleſia, quam ſuo Chriſtus ſanguine comparavit; qui non pro terreno lucro, neque pro ſæculari extollentia, ſed vere pro ſalvandis [2] animabus curam accepit paſtoralem: Neceſſe eſt, ut toties cadat per compaſſionem, quoties aliquem de ſibi commiſſis cadere conſpicit, toties triſtetur, quoties aliquem commiſſorum triſtari cernit; toties lugeat, quoties de commiſſis quemquam lugere cernit, & ad ultimum toties moriatur per compaſſionem quoties quemvis de ſibi commiſſis ſpiritualiter (3) mori videt. In qua re quantus ſit labor videre curent (4) qui curam regiminis circa ſibi commiſſos vigilanter exercent. In quo genere martyrii [5] beatus Romulus

Antiquis Eccleſiae ritibus lib. 1. cap. 8. art. 3. Verum admodum quidem ſenem fuiſse conſtat D. Romulum, ubi Faeſulanam cathedram adeptus eſt, etenim cum quindecim annos Lector degerit, triginta vero Diaconus, quibus addas licet, & aliquot annos antequam Lector fieret, & tempus quod Presbyter degit, certe ſaltem ſexagenarius fuiſse videtur.

1 Cod. Flor. *martyrii*.

2 Cod. Flor. *fratrum animabus*.

3 Cod. Flor. *ſpiritaliter*.

4 Cod. Flor. *labor callent qui*.

5 Notaſtin? non illo igitur cruento & portentoſo Martyrio clarus extitit Divus Romulus, quod Actorum ſcriptor confinxit, ſed illo, cuius etiam meminit D. Bernardus ſermone 1. §. 7. in Octava Paſchae Opp. tom. 2. pag. 89. dicens: *Eſt enim et Martyrii genus quaedam effuſio ſanguinis in quotidiana corporis afflictione*: Quodque idem Sanctus Abbas latius explicat ſerm. de S. Clemente Papa §. 3. 4. 5. Opp tom. 2. pag 153. & item memorat in lib. Sententiarum, ſi tamen ipſe eſt huius libri auctor, Opp. tom 5. pag. 364. ubi legitur: *Martyrium ſine ſanguine triplex eſt. Parcitas in ubertate, quam habuit David & Iob: largitas in paupertate, quam exercuit Tobias: et vidua caſtitas in iuventute, qua uſus eſt Ioſeph in Aegypto.* Guerricus Abbas cum Bernardo concinit ſermone in die Aſcenſionis Domini §. 3. edito in Appendice Opp. eiuſdem S. Bernardi pag. 50. *vobis autem fratres donatum eſt, ut ait Apoſtolus, non ſolum ut*

mulus Chriſtum , qui videns civitatem Iheruſalem , ſcienſque qualia , & quanta in proceſſu temporis pro ſuis peccatis paßura eſſet , per compaſſionem flevit ſuper illam , procul dubio in condeſcenſione commiſſorum (1) *ſibi quoad* [2] *vixit , imitatus eſt . Ideo poſt Chriſtum &*

in eum credatis , ſed etiam ut patiamini pro eo , quos ſcilicet fides promiſsionis Chriſti non ſecuritatem negligentiores , ſed alacritate faciens ferventiores & quotidiano vitiorum conflictu martyrio coronat aſsiduo . Aſsiduo ſed facili & ſublimi . Facile eſt ubi ſupra virtutem nihil imperatur , ſublime úbi de omni virtute illius fortis armati triumphatur . Demum S. Petrus Damianus in ſerm. de S. Barb. *Quiſquis amat Martyrium* , inquit , *exhibeat ſe Martyrio dignum , & Martyrii proculdubio conſequetur praemium. Non poteſt ſanguinem fundere , poteſt ſemetipſum poenitentiae telo percutere , & in cordis contritione mactare .* Verum ante nos univerſos idipſum eregie docuerat S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 25. *Duo ſunt , Petre , Martyrii genera , unum in occulto , alterum quoque in publico . Nam etſi perſecutio deſit exterius martyrii meritum in occulto eſt , cum virtus ad Paſſionem prompta flagrat in animo . Quia enim eſse poſſit , et ſine aperta paſsione martyrium , teſtatur in Evangelio Dominus , qui Zebedaei filiis adhuc prae infirmitate mentis maiora eſsionis loca quaerentibus dicit: Poteſtis bibere calicem quem bibiturus ſum ? Cui videlicet cum reſponderent , poſsumus : ait utriſque : Calicem , quidem meum bibetis , ſedere autem ad dexteram meam , vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis . Quid autem calicis nomen , niſi paſsionis poculum ſignat ? Et cum nimirum conſtet , quia Iacobus in paſsione occubuit . Ioannes vero in pace Eccleſiae quievit , incunctanter colligitur eſse et ſine aperta paſsione martyrium , quando et ille calicem Domini bibere dictus eſt , qui ex perſecutione mortuus non eſt . De his autem talibus tantiſque viris, quorum ſuperius memoriam feci , cur dicamus , quia ſi perſecutionis tempus extitiſset, martyres eſse potuiſsent : quia occulte antiqui hoſtis inſidias tolerantes , ſuoſque in hoc mundo adverſarios diligentes , cunctis carnalibus deſideriis reſiſtentes , per hoc quod ſe omnipotenti Deo in corde mactaverunt , etiam pacis tempore martyres fuerunt .* Itaque & cum nulli in Eccleſiam ſaeviunt Tyranni , ut bene etiam D. Io: Chryſoſtomus praedicavit , poſſunt Chriſtiani gloriam Martyrii adipiſci , nempe ſi quis ſe ipſum & cupiditates ſuas non ſolum refrenet , ſed etiam occidat , et tollat : quod occultum Martyrium vocat S. Ambroſius in Lucam : quodque eſt illud ipſum Martyrium, in quo Fidei ſuae periculum S. Romulus fecit , & invictus immortalitatis palmam obtinuit , ut fuſius & poſt Homiliam dicturi ſumus.

1 Cod. Flor. *perperam in condenſione commenditorum.*

2 Cod. Flor. *quod ad &c.*

& ad Chriſtum pervenit, quia taliter ambulavit, ut Chriſto miniſtraret, implendo hunc ſermonem Chriſti, qui dicit (1): *Qui mihi miniſtrat me ſequatur: Quam ob rem hic noſter patronus Romulus opere, & nomine Diaconus, ideſt miniſter Chriſti fuit; hinc etiam datur intelligi, quod nullus hominum aliquod peccatum poteſt committere niſi dum illa appetit, quæ Chriſtus contempſit; vel dum ea fugit, quæ Chriſtus ſubſtinuit.*

Tota namque vita Chriſti per hominem in terris, quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morum fuit. ſed veh nobis miſeris, qui & ratione mentis, & auctoritate legis, nec non exemplis ſanctorum Patrum, quaſi quibuſdam validiſſimis funibus a deſideriis carnalibus retrahimur, & tamen quotidie in eis nos polluimus immemores ſcripturæ terribiliter clamantis (2).

Qui ſeminat in carne, de carne et metet corruptionem; Et illud: [3] *Qui mundum diligit inimicus conſtituetur Dei. Creator nempe omnium delectabiles huius mundi delicias, a quibus nos abſtinere iubet, ideo creavit, hominiſque poteſtati ſubdidit* (4), *ut in eis experiatur omnis, ut dum unuſquiſque id, quod magno deſiderio delectabile appetit pro Chriſti amore non tangit; per certaminis victoriam obtineat in Cœlis cum Chriſto coronam, qui ad diſcipulos ait:* [5] *Gaudete quia vici Mundum: Et iterum* (6): *venit enim Princeps mundi huius, et in me non invenit quicquam. Veraciter namque* [7] *Diabolus, qui Princeps Mundi amatorum eſt; illorum ſcilicet, qui* (8) *eius parent imperio hac ſuaſione deluſus eſt, dum tentavit* eum,

qui

1 Io: c. 12. v. 26.
2 Ep ad Gal. cap. 6. v. 8.
3 Iac. Ep. c. 4. v. 4.
4 Cod. Flor. *Et ideo creavit, hominis poteſtate ſubdidit.*
5 Io: c. 16. v. 33.
6 Io: c. 14. v. 30.
7 Cod. Flor. *enim.*
8 Cod. Flor. *qui omnino eius &c.*

qui in nullis illicitis contaminatus eſt, nec pænitus ullum fecit peccatum, nec culpam aliquam pro qua pœna dignus eſset. Qua propter Chriſtus, qui abſque omni peccato occiditur rationabiliter omnes iuſtos de poteſtate antiqui hoſtis liberavit [1].

A quocunque autem fidelium hic ad exemplum Chriſti delitiæ, carnaleſque voluptates intactæ remanent, eidem cum Chriſto in Cœlis repoſitæ, & conſervatæ manebunt. Inde ſcriptum eſt: Voluptas habet pœnam, neceſſitas parit coronam: Chriſtus ſiquidem, ut ipſe dixit (2)*: Non pacem, ſed gladium miſit* [3] *in terras; ideſt in homines Mundi* (4) *amatores; dum omnia, quibus delectabantur prius eos odiſſe* mandavit (5); *Cunctaque quaſi aſpera, & dura fugere, & reſpuere pręcepit. Quid enim durius aut aſperius eſt homini in hoc mundo, quam renuntiare omnibus, quae poſſidet? Inſuper & propriam odire animam, portando quotidie crucem ſuam poſt Chriſtum? ſed qualis remuneratio illi retribuatur, qui haec adeo dura ſervavit* (6) *ex ipſius qui hoc praecipit Domini ore audiamus.*

Dicit enim (7)*: Omnis qui reliquerit Patrem, aut Matrem, aut uxorem, aut filios, aut agrum* [8] *propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam aeternam poſſidebit.*

Ut autem indicaret, quoniam in multis laboribus ad tam ardua praemia pervenitur, filiis Zebedei petentibus

G

1 Cod. Flor. *Culpam aliquam, pro qua pena dignus eſset non invenit, hac propter hoc quia illum ſine culpa loqueris per ora Iudeorum iniuſte occidit rationabiliter & alios mortales de ſorte fidelium, quos pro culpa tenuit, amiſit.*

2 Matth. c. 10. v. 34.

3 Cod. Flor. *miſi in terra &c.*

4 Cod. Flor. *terre.*

5 Cod. Flor. *odire praecepit & cuncta &c.*

6 Cod. Flor. *ſervaverit.*

7 Matth. c. 19. v. 29.

8 Cod. Flor. *agros.*

tibus celſitudinem confeſſionis propoſuit amaritudinem calicis.

Ne vero aliquis ſeipſum de impoſſibilitate operandi quae recta ſunt, excuſet, eumdem Dominum audiat in Evangelio dicentem [1]: *Omnis qui petit, accipit, & qui quaerit invenit, et pulſanti aperietur. Et iterum.*

Omnia poſſibilia ſunt credenti (2): *Et rurſum Apoſtolus*: (3) *Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Univerſa, fratres mei* (4), *quae in hoc mundo nobis evenire debebunt taliter futura ſunt, ut ambigere queamus, utrum veniant, an non. Mors autem, et tremendum Dei iudicium, in quo de omnibus quaecumque cogitando, loquendo, vel agendo delinquimus, rationem reddituri ſumus. Sic inevitabiliter ventura ſunt, ut haec nullus mortalium effugere* [5] *valeat, ſicut Pſalmiſta teſtatur dicens* [6]: *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a deſertis montibus, quoniam Deus iudex eſt. Ipſe procul dubio fratres in futuro iudicio omnium, quae iniuſte peregimus teſtis, et iudex erit, qui nunc obſervat omnes ſemitas noſtras, et veſtigia pedum noſtrorum conſiderat; quemadmodum* illi *per beatum Iob* [7] *dicitur. Fortiſſime, magne, potens Dominus exercituum nomen tibi, magnus conſilio, incomprehenſibilis cogitatu, cuius oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique ſecundum vias* (8), *et ſecundum fructum adinventionum ſuarum* (9). *Quid igitur nobis melius eſt, fratres, quam ut* ad *reddendam rationem de noſtris operibus*

1 Luc. c. 11. v. 10.
2 Marc. c. 9. v. 22.
3 Paul. Ep. ad Philipp. c. 4. v. 13.
4 Cod. Flor. *fratres kariſſimi &c.*
5 Cod. Flor. *effugare*.
6 Pſal. 74. v. 7. 8.
7 Iob c. 13. v. 27.
8 Cod. Flor. *viam*.
9 Cod. Flor. *tuarum*. verba ſunt Ierem. 22. c. v. 18. 19.

bus in die iudicii modo nos praeparemus ; poſtquam certum conſtat , quia illud effugere non valebimus , & amaritudinem illius examinis nobis nunc iuſte , ac ſobrie vivendo convertamus in dulcedinem : Omnis quippe ſervus , qui abſente Domino praecepta Domini ſui peragit non ſolum non timet , ſed etiam gaudens , et laetus eum expectat (1) .

Similiter et nos laeti Chriſtum Iudicem expectabimus , ſi eius nunc mandata ipſo largiente , in quantum poſſumus adimplere ſtuduerimus . Beatus vero Romulus perſiſtens in Ordine Diaconatus per aliquot annos (2) *Deo diſponente , pervenit ad honorem Presbyterii . En , fratres mei , ſcitis , quia res diu duraturae tardius creſcunt . Inde David volens oſtendere latitudinem perfectionis , quae per incrementa temporis Dei munere ſolet fieri in Electis haud inconvenienter eos palmae comparavit* (3) . *Palma denique non in paucis , ſed in pluribus creſcit annis . Eſtque in hoc etiam diſſimilis caeteris arboribus , quia cernitur inferius* [4] *exilior , ſuperior* [5] *vero groſſior ; Nam caeterae arbores inferius groſſiores , ſuperius autem ſubtiliores videri ſolent .*

Similiter [6] *Sancti viri in prima converſatione , quaſi in inferiori parte ſubtiles ſunt , in proceſſu tamen temporis creſcentes de virtute in virtutem , iam in perfectione , quaſi in ſuperiori parte groſſiores fiunt , ſicut & hic Deo dilectus Romulus , qui primus in* Dei *Eccleſia cuſtos ordinatus* (7) , *ac deinde lectoris officium* plurimis (8) *annis peragens Diaconatus ordinem pro*

 bo-

1 Cod. Flor. *Domini ſui non edit , ſed etiam gaudens , & laetus expectat . Similiter & nos laeti &c.*
2 Cod. Flor. *triginta annis .* v. pag. 344.
3 Pſal. 91. v. 13.
4 Cod. Flor. *inferior .*
5 Cod. Flor. *ſuperius .*
6 Cod. Flor. *ſimili modo .*
7 Cod. Flor. *Qui primo in hac S. Eccleſia cuſtos ordinatur .*
8 C. Flor. *officium quindecim annis etc.*

bonis actibus meruit . In quo etiam per aliquot (1) *annos Chriſto devote ſerviens Presbyterii gradum mire probatus obtinuit* (2) ; *Et iuſtos ſiquidem ſicut rationabiliter palmam aequipare conſtat , ita contra malos non incon-*

1 Cod. Flor. *per triginta annos* . Caeleſtinus Papa 65. annos in Diaconatu conſumpſit : quod frequens Romae accidit teſte Petro Bleſenſi Ep. 123. *Vidimus* , inquit , *complures in Eccleſia Romana in Ordine Diaconatus uſque ad decrepitam aetatem , & exhalationem extremi ſpiritus miniſtraſſe . Certe Dominus Caeleſtinus , qui hodie ſedet , ſicut ex ipſius ore frequenter accepi in officio Levitae ſexaginta quinq; annos expleverat , antequam ipſum Dominus in Summi Pontificatus apicem ſublimaſſet* . Sidonius Apollinaris lib. 4. Ep. 25. de Io: Cabilonenſi Epiſc. in Archidiaconi honore diu eſse moratum narrat . Inter Inſcriptiones Chriſtianas Florentiae inventas , & ſuperius deſcriptas Diaconus an. LXX. memoratur . Porro habeo & Subdiaconorum longaevae aetatis exempla . Inſcriptio Genuae a Stephanonio deſcripta inter Donianas Claſſ. 20. pag. 531.

☧ HIC REQVISCIT BONAE
MEMORIAE SANCTVLVS
SVBDIAC . IN . PACE . QVI VIXIT
ANNOS PM . LXXX . DP . EIVS . VI
KAL . MAIAS . CONS . ALBINI . VC CONS

☧ ☧ ☧

Marcellus quidam Subdiaconus Regionis ſextae , quod munus & apud Anaſtaſium occurrit in vita S. Silverii obiit an. aet. PL.M.LXVIII. ut ex eius Epitaphio conſtat , quod in eadem Doniana Inſcriptionum Collectione exhibetur pag 537.

2 Itaque Romulus & Lector & Diaconus & Presbyter extitit antequam crearetur Epiſcopus . Sardicenſe Concilium can. 10. eos ipſos Ordines ante Epiſcopatum ſuſcipiendos eſſe voluit iubens : *ſi quis ex foro , ſive dives , ſive ſcholaſticus , Epiſcopus fieri dignus habeatur , non prius conſtituatur , quam Lectoris , & Diaconi , & Presbyteri miniſterium peregerit : ut in unoquoque gradu ſi dignus exiſtimatus fuerit , ad Epiſcopatus faſtigium per progreſſionem poſſit aſcendere . Habet autem uniuſ uiuſque ordinis gradus non minimi ſcilicet temporis longitudinem , per quod et fides , et morum probitas , et conſtantia , et moderatio poſſit cognoſci : & ipſe Divino ſacerdotio dignus exiſtimatus maximum honorem aſſequatur* . Ὥστε ἐάν τις πλούσιος ἢ σχολαστικὸς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς ἀξιοῖτο ἐπίσκοπος γίνεσθαι μὴ πρότερον καθίστασθαι , ἐὰν μὴ καὶ ἀναγνώστου καὶ διακόνου καὶ πρεσβυτέρου ὑπηρεσίαν ἐκτελέσῃ . ἵνα καθ᾽ ἕκαστον βαθμὸν , ἐάνπερ ἄξιος νομισθείη , εἰς τὴν ἀψῖδα τῆς ἐπισκοπῆς κατὰ προκοπὴν διαβῆναι δυνηθείη · ἕξει δὲ ἑκάστου τάγματος ὁ βαθμὸς οὐκ ἐλαχίστου δηλονότι χρόνου μῆκος , δι᾽ οὗ ἡ πίστις αὐτοῦ καὶ ἡ τῶν τρόπων καλοκαγαθία , καὶ ἡ στερρότης καὶ ἡ ἐπιείκεια γνώριμος γενέσθαι δυνήσεται · καὶ αὐτὸς ἄξιος

τῆς θείας ἱερωσύνης νομισθεὶς τῆς μεγίστης ἀπολαῦσαι τιμῆς. Verum enimvero interdum vel ex Ordine Diaconorum, immo vero etiam ex inferioribus Ordinibus Subdiaconorum, Lectorum &c. nec non ex ipſis quoque laicis Epiſcopos factos eſſe legimus, de quo luculenter diſſerunt Edmundus Martene de Antiq. Eccl. Ritibus lib. 1. cap. 8. art. 3. Edit. novae p. 23. Thomaſſinus de Benef. Par. 1. lib. 2. cap. 36. et Binghamus Orig. Eccl. lib. 2. cap. 10. Ceterum neque illud praeterire volumus illius Eccleſiae Epiſcopum factum eſſe D. Romulum, in qua a pueris Deo ſerviverat: etenim hoc quoque conſtanter obſervatum olim fuiſse noſse iuvat, unde illud Hilarii Papae in Ep. 1. ad Aſcan. Tarraconenſem cap. 3. *de Clero proprio Barcinonenſibus Epiſcopus ordinetur*, & Leonis lex Ep. 84. ad Anaſtaſ. cap. 6. *Metropolitano defuncto cum in locum eius alius fuerit ſubrogandus, provinciales Epiſcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debebunt, ut omnium civium voluntate diſcuſsa, ex Preſbyteris eiuſdem Eccleſiae, vel ex Diaconibus optimus eligatur*. Eamdem legem antea tulerat Caeleſtinus Ep. 2. ad Ep. Narbon. cap. 4. *Alter*, inquit, *in alterius provincia nihil praeſumat: nec emeritis in ſuis Eccleſiis Clericis peregrini et extranei, et qui ante ignorati ſunt, ad excluſionem eorum, qui bene de ſuorum civium merentur teſtimonio praeponantur* Seria quidem animadverſione digna ſunt haec Cæleſtini verba, cum et ipſam exhibeant cauſam legis, a qua tamen diſcedendum aliquando, eſse putat ſubdens cap. 5. *Tunc alter de altera eligatur Eccleſia, ſi de civitatis ipſius Clericis, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non creditur, poterit reperiri*. Porro, ut videre eſt apud Binhganum Orig. Eccl. lib. 2. cap. 10. nec non apud Thomaſſinum rem totam longe luculentius Binhgamo exornantem Par. 2. lib 1. cap. 86. §. 7. 15. et lib. 3. cap. 35. alias quoque fuiſse cauſsas, quae ab illa lege liberarent, ex Eccleſiaſtica hiſtoria manifeſtum eſt: erant autem I. quae Eccleſiae futura eſset uſui, Epiſcopi ab una ad aliam ſedem translatio II. quando inter cives de quopiam ex dioeceſi eligendo diſcordia eſſet III. ſi quis meritis ſingularibus praeditus occurreret; quibus adde ſi quis eſſet miraculo aliquo divinitus praemonſtratus: Ut contigit tum cum Faeſulani urbis ſuae Epiſcopum ſalutarunt S. Donatum Scotum, cuius vitam ex eodem Paſſionario Faeſulano, unde eſt Homilia, quam illuſtramus, deſcripſimus; eſt enim lectu digna, & forte eius ope caſtigandum eſt, quod dicitur de quadam ſancta femina nomine Brigida, S. Andreae S. Epiſcopi Donati comitis, & Archidiaconi Faeſulani ſorore, cui dedicatam ferunt quamdam Eccleſiam, quæ ſita eſt 6. millia circiter paſſuum a Florentia, ubi iam erat vetus Sacellum S. Brigidae dicatum, quod nunc novae Eccleſiae ſacrarium eſt. Scilicet vetus illud Sacellum non alteri S. Brigidae nuncupatum forte fuit, quam Scotae, de qua intelligenda eſſe videntur haec verba, quae in laudata hiſtoria vitae S. Donati leguntur: *Ipſe vero ſanctiſsimus Vir* (nempe Donatus) *dolore ſepius pedum fatigabatur. Nam cum die quadam vix ſufferre valeret, manuſque extendens, oculos ad coelum erigens, ſibique ut Chriſtus ſubveniret petens; Veſpere facto cum temptant confinia noctis; Nocte ſequente qui-*

congrue ſcriptura ſacra foeno , quod cito oritur , & natum e veſtigio ſiccatur , aſſimilat dicens (1) .

Fiant (2) *ſicut foenum aedificiorum , quod prius quam evallatur , areſcit . Eſaias etiam* [3] *omnis caro foenum , & omnis gloria eius , quaſi flos foeni ; Mundus namque , qui diligitur* (4) *, & concupiſcentia eius cito tranſit ; Ideo non immerito floribus comparatur* [5] .

Li-

dem Chriſti ſit maxima virtus ; Nox cum ruit , & gravidae volvuntur montibus umbrae : Ecce ſub obſcuro emicuit , lampada flammas ſparſerat , & nitidas cum veſte puellas viderat ad dextram lectuli cum lumine claro : Admiratus loquitur verba ſalutis : O vos igniferae , qui fertis lumina nocte . Quid vos , quid velit haec lux , quas lampadas iſtas ? Quid vos , quid cupitis , quam in partem pergere vultis ? Brigida virgo Dei dictis haec geſſit , & actis . Nos ad te venimus , nunc tibi ſalutem paramus . O manifeſta Dei virtus monſtratur in ipſo . O memoranda diu , multos veneranda per annos . Pollice ſacrato pedes benedixit , & unxit ; Virginis ex manibus ſtillavit gratia Chriſti . Mira loquor ſubito membrorum quippe ſuorum praeſul conſequitur perfectam valde ſalutem . Mane novo rutilum dies demonſtrat cardine vultum ; Nigra fugit trepidae noctis , ut diximus , umbra ; haut ſecus umbra diem cum ſolis coeperat ortus , fugerat omne malum perfuſo fonte ſalutis ; ſubtularios tunc quaerens , ut ad Eccleſiam procederet ſenex , equem mox ut aſcendis etc. Itaque peculiari cultu S. Brigidam Scotam a S. Donato cultam fuiſſe credibile in primis eſt , quod Patrona Hiberniae eſſet , unde ille non minus ac ſancta Virgo originem traxerat , etſi uterque e Scotia dicitur , quod Hiberniam veteres Scotiam appellare conſueverint . In Hibernia natam eſſe S. Virginem Brigidam , eiuſque Provinciae Patronam eſſe omnes norunt , hic autem ſatis ſit laudare Antonium Macedum in Opere de Divis Tutelaribus Orbis Chriſtiani pag. 484. Porro ex Hibernia fuiſſe etiam S. Donatum laudata hiſtoria nos docet : *Iſte nempe , Fratres mei , iſte eſt beatus ille , & vere praedicandus Chriſti Sacerdos Beatus Donatus , quem nobis Hybernia Scotorum Regio tranſmiſit . Scotia vero , & Hybernia proximae ſunt Britanniae , Hybernia vero inſula inter Britanniam & Hiſpaniam ſita , ſpatio terrarum anguſtior , ſed ſitu foecundior , haec longiore ab Affrica ſpatio in Boream porrigitur . Huius prioris partes Hyberniam , & Cantabricum Oceanum intendunt , unde & Hybernia eſt dicta . Scotia autem , quia Scotorum gentibus colitur , appellata etc.*

1 Cod. Flor. *fiat* .
2 Pſal. 128. v. 6.
3 Iſa. c. 40. v. 6.
4 Cod. Flor. *quem diligunt* .
5 Cod. Flor. *ideoque non immerito feni floribus comparatur* .

Licet enim deliciae huius [1] *Mundi* , *quandoque per aliquantos annos amatores ſuos non deſerent* (2), *velociſſime tamen ad inſtar foeni tranſvolare perhibentur*, *quia dilectores ſuos valde celerius* , *quam velint derelinquunt* . *Propter quod et Propheta dicit* (3) : *Viri ſanguinum* , *et doloſi non dimidiabunt dies ſuos* ; *non utique dimidiabunt*, *quoniam prius quam abiſſum ſuae cupiditatis* (4) *expleant aut ipſi deſerunt divitias* , *aut deſeruntur ab eis* . *Quas etiam interim dum poſſederunt dupliciter miſeri* , *et egentes fuerunt* .

Uno ; *quia compotes voti numquam fuerunt* .

Altero ; *quia ipſas* , *quas cum ingenti labore* , *et anguſtia divitias acquiſierunt* , *retinere nequiverunt* . *Et quidem ſi poſſeſſores divitiarum inter poſſidendum divitias pauperes non eſſent* , *Pſalmiſta nequaquam diceret* (5) : *Divites eguerunt* , *et eſurierunt* ; *inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono* . *De illis tamen divitibus hoc dictum per Pſalmiſtam fore nil obſtat intelligi* , *qui ſperantes in incerto divitiarum ipſas divitias per cupiditatem* , *quae radix* (6) *eſt omnium malorum amplectuntur* . *Nam Sancti Patriarchae Abraham* , *Iſaac*, & *Iacob licet multas habuiſſent poſſeſſiones a crimine tamen cupiditatis* , & *avaritiae immunes extiterunt* , *quia non in eis* , *ſed potius in Deo* (7) *ſperaverunt* . *Unde conſtat* , *quia poſſeſſio non facit divitem*, *ſed cupiditas* (8) . *Unuſquiſque etiam fidelium* ; *qui plurima poſſidet* , *ſi ſecundum Evangelicum praeceptum de mammona iniquitatis* , *hoc eſt de divitiis ſibi amicos fecerit* , *conſolans inde pro amore Chriſti* , *ac pro retribu-*

1 Cod. Flor. *iſtius mundi* .
2 Cod. Flor. *reſerat* pro *deſerant* .
3 Pſal. 54 v. 24.
4 Cod. Flor. *predicationis* .
5 Pſal. 33. v. 11.
6 V. Paul. 1. ad Tim. cap. 6. v. 10.
7 Luc. c. 19. v. 8.
8 Cod. Flor. *cupido* .

butione ſempiterna pauperes, & peregrinos, viduas, & orfanos, ſive in quacumque tribulatione poſitos non in ordine eorum divitum, quos David eguiſſe, & eſuriſſe dicit, computabitur, ſed magis in gradu Zachei, qui dimidium bonorum (1) dedit pauperibus; & ſi quid defraudavit (2) in quadruplum reſtituit, annumerabitur. Ut enim ſcientia, ieiunium, & elemoſina, ac oratio, caeteraeque gratiae, vel virtutes praeter fidem, ſpem, & caritatem, ita ſunt mediae, quod & in bonam, malamque partem converti poſſint, ſic & divitiae. Oratio namque et ieiunium, quod proh turpe dictu eſt, a quibuſdam in Sancta Eccleſia converſantibus aliquando cauſa fiunt Ypocriſis, a quibuſdam (3) puro, et ſimplici animo, ac pro Dei amore, et aeterna retributione, itidemque divitiae in bonam, malamque partem pro qualitate utentium converti poſſunt. In ordine autem Presbyterii, vel Epiſcopatus Beatiſſimus Chriſti Romulus, quantae ſanctitatis extiterit noſter ſermo non valet evolvere; quia Sanctorum virorum, qui iam Chriſto poſt ſolutionem carnis [4] coniuncti ſunt, nichil intereſt laudare noviſſima, qui in iuvenili flore adeo [5] fuerunt perfecti.

Nam ad cuius ſepulchrum Deus tot miracula nunc exhibet, per ipſum quoque plura dum hic viveret tam in ſuae animae, quam in proximorum ſalvatione feciße credendus eſt: Tantis quippe coelitus imitandae vitae exemplis in hac Feſulana urbe emicuit, tantaſque iſtius urbis populorum animas officio praedicationis, & ſanctitate converſationis Deo lucratus eſt, ut iſtud templum

1 Cod. Flor. *dimidium rerum ſuarum*.

2 Cod. Flor. *fraudavit*.

3 Cod. Flor. *a quibusdam vero puro, & ſimplici animo, ac pro Dei amore*.

4 Cod. Flor. *qui iam Chriſto per ſolutionem carnis*.

5 Cod. Flor. *qui iuvenili flore a Deo*.

plum [1], *quod ante ortum huius ſancti viri a beato Petro Apoſtolo, cuius hic habentur reliquiae, denominatum eſt, nunc Dei nutu a Patrono* (2) *noſtro Romulo denominationem habeat* (3). *Obitus quoque eius, in quo relicto carnis pondere ad Chriſtum, cui totus hic vixerat, migravit, celebratur pridie Nonas*

H *Iu-*

1 Cod. Flor. *ut iſtum Epiſcopium, qui &c.* Nomen *Epiſcopium*, in neutro tamen genere uſurpatum, haud raro legitur, & plures habet ſignificationes: ſignificat enim Epiſcopalem dignitatem, ut pluribus exemplis docet Carolus Du-Freſne in Gloſſario Latino: Epiſcopi domum, ut videre eſt apud Moſchum in Prato ſpirituali Mon. Gr. Cotelerii tom. 2. pag 414. apud Cyrillum Scythopolitanum in vita S. Euthymii Analec. Gr. tom. 1. pag. 9 & in vita S. Sabae Mon. Gr. Cotelerii tom. 3. pag. 26. 262. 327. 349 &c apud Anaſtaſium Bibl. qui Lateranenſem Eccleſiam a Conſtantino *iuxta Epiſcopium* conſtructam fuiſſe dicit, & c. 26. Synodi Meldenſis legimus: *ſuggerendum eſt & ex Divino mandato intimandum Regiae maieſtati, ut Epiſcopium, quod domus Epiſcopi appellatur, venerabiliter & reverenter introeat:* Praeterea Epiſcopium ſignificat etiam totam Dioeceſin, ut Fratres Macrii in Hierolexico adnotarunt: verum enimvero nulla ex his ſignificationibus huic loco facile accommodatur, ita ut plane conſtet, quod Florentinus Codex *Epiſcopium* uſurpaverit pro *Templum*, ut eſt in Cod. Faeſulano, ſignificatione haud quidem inuſitata; ſic enim non ſemel uſurpatur in Hiſt. Translationis S. Marci Ep. Atinenſis, et apud Theophanem Cerameum, homilia quarta recitata dicitur ἐν τῷ ἄμβωνι τῆς ἐπισκοπῆς, ut laudatus Carolus Du-Freſne animadvertit.

2 Pluries Patronus dicitur D. Romulus in homilia laudatus, ut plane conſtet ad eum ipſum Romulum pertinere, quem ut Patronum Faeſulani etiam nunc venerantur, Petri diſcipulum fuiſſe ſibi perperam ſuadentes.

3 Ex his plane conſtat homiliam in antiqua Faeſularum Cathedrali Eccleſia recitatam fuiſſe, quae ſtetit uſque ad annum 1028. Porro Theuzo Abbas Radiolenſis Monaſticam amplexus eſt vitam an. 1015. quod alibi adnotatum hic repeto, ut appareat ineptum non eſse ſuſpicari, Theuzonem Homiliae auctorem eum ipſum eſſe Abbatem Radiolenſem. Porro neque eſt praetermittendum hinc factum eſse, ut intelligamus Cathedralem Eccleſiam Faeſulanam D. Petro dicatam fuiſſe, etſi in Inſtrumento an. 966. apud Ughellum Ital. Sacr. tom. 3. col. 215. S. Romuli Eccleſiam vocat Zenobius Epiſcopus Faeſulanus, quod ſcilicet ſepulchrum ibi eſſet S. Epiſcopi poſitum, apud quod multa Deus oſtentabat miracula. Iacobus Bavarus, ut videre eſt apud eumdem Ughellum, vocat Eccleſiam SS. Petri & Romuli, quod nomen et toti Epiſcopatui tribuunt Epiſcopi ſucceſſores.

Iulii [1] . *Proinde nobis , fratres mei , conſiderandum eſt , ut ſi pro amore Sancti Romuli hanc eius feſtivitatem colimus* pro *noſtra etiam neceſſitudine* [2] *ne in aeternum lugeamus , vitam ipſius ſequi ſtudeamus .*

Sic enim nobis proderit Sanctorum intereſſe feſtivitatibus , ſi eorum converſatio , ut ipſos imitemur , noſtris inhaereat mentibus , tunc quoque cum eis , quorum nunc natalitia colimus [3] *in coeleſti aula gaudebimus , ſi eorum modos prout* (4) *poſſibile eſt ſectemur , & actus*

Ita ut deſideria carnis , & mundanas illecebras ſpernere , ac ſanctos virorum actus ſic ſequi valeamus , ut ad vitam pertingamus aeternam . Ipſe , qui nos propria morte redemit ab aeterna , nos *adiuvare dignetur* (5)

Iheſus Chriſtus Dominus , qui cum Deo Patre , & ſpiritu ſancto vivit , & regnat Deus per omnia ſaecula ſaeculorum amen .

* . . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Age vero hactenus Homilia : & Inſcriptioni , quam ſupra retulimus , ecquis non videt abſolutiſſime reſpondere ? Forte neſcio quis obiiciet : Meſ-

1 Cod Flor. *pridie nonarum Iulii .*
2 Cod. Flor. *neceſſitate .*
3 Cod. Flor *percolimus .*
4 Cod. Flor. *prout nobis &c.*
5 Cod. Flor. *Ut autem deſideria carnis & mundanas inlecebras ſpernere , ac ſanctos virorum actus et mores ſic ſequi valeamus , ut ad vitam pertingamus eternam . Ipſe qui nos a morte propria eterna redemit adiuvare dignetur Iheſus Chriſtus Dominus noſter , qui cum Patre , et Spiritu S. vivit et regnat in ſecula ſeculorum amen .*

* Poſt Homiliam dolemus in Paſſionario quatuor verſuum lituram deſperatae lectionis offendiſſe , opus Pholae iniurioſiſſimum : etenim ibi forte auctoris nomen , & conditio edocebatur .

Meſſio Romulo Inſcriptionem eſſe poſitam, & Romulum in Homilia laudatum, necnon D. Romulum Faeſularum Epiſcopum nullibi Meſſium eſſe dictum: verum etiam S. Auguſtinus dicebatur Aurelius, & tamen ecquis eſt, qui ſolo Auguſtini nomine illum non appellet? S. Paulinus Nolanus Epiſcopus dicebatur Pontius, & tamen ecquis eum ſub uno Paulini nomine non laudat? Itaque pleni ſunt his exemplis veteres, recenteſque libri, nec ſine eruditorum faſtidio rem lippis atque tonſoribus notam probare operoſius contenderem, quamvis, ut ab hoc etiam ſcrupulo craſſae Minervae homines liberarem, obiter ſaltem haec ſcribere, negligendum mihi non fuerit.

Etſi vero ipſum tempus, quo Faeſulanam Cathedram D. Romulus obtinuit, neque dum ſatis apparet, conſtat tamen ex utroque antiquiſſimo monumento, quod D. Petro aequalis minime fuit; & ſi coniecturis fas eſt uti, facile, ut puto, intelligitur, probabile in primis eſſe, quod circiter quartum Eccleſiae ſeculum claruerit, eam enim aetatem praeſeferre videtur Inſcriptio; & certe ante Conſtantini tempora D. Petro dicatum fuiſſe publicum Templum, ubi a puero D. Romulus inſerviverit, admitti nequit.

Porro, & ſi multae ſacrae Aedes D. Romulo nuncupatae in Florentina Dioeceſi reperiuntur, haud tamen fore ſatis probatum videtur, quod huiuſce etiam Dioeceſeos Epiſcopus fuerit. Sic & multae ibi ſunt ſacrae Aedes S. Donato dicatae, quem ſolius Arretinae Dioeceſeos Epiſcopum fuiſſe nemo dubitat. Ad haec: nemo veterum illud tradit, & omnia, quæ habemus Florentinorum, Faeſulanorumque

Epiſcoporum monumenta, peculiari Epiſcopo utramque urbem decoratam fuiſse oſtendunt, quamobrem cum nihil plane ſit, quod certiores nos faciat, quo tempore ex una Dioeceſi duae factae ſint, iam ab initio utrique urbi peculiarem ſuum Epiſcopum datum eſſe facile crediderim: neque enim multum intereſt, quod ſatis proximae illae ſint, cum, etſi credibile minime eſt, quod urbes multum proximae ſingulae ſingulos Apoſtolos, & Epiſcopos ineunte Eccleſia acceperint, certe in dies magis Chriſtianorum numero creſcente etiam Epiſcoporum numerus in dies magis factus ſit maior; & quamvis antiqui Canones Epiſcopos parvis in urbibus conſtituere vetuerint, ut videre eſt can. 57. Laodicaenae Synodi, & c. 6. Sardicenſis, cuius eſt illud decretum: Μὴ ἐξεῖναι δὲ ἁπλῶς καθιστᾷν ἐπίσκοπον ἐν κώμῃ τινὶ, ἢ βραχείᾳ, ᾗτινι καὶ εἷς μόνος πρεσβύτερος ἐπαρκεῖ. οὐκ ἀναγκαῖον γὰρ ἐπισκόπους ἐκεῖσε καθίστασθαι, ἵνα μὴ κατευτελίζηται τὸ τοῦ ἐπισκόπου ὄνομα, καὶ ἡ αὐθεντία. *Non licet ſimpliciter Epiſcopum conſtituere in aliquo pago, vel parva urbe, cui vel unus presbyter ſufficit: non neceſſe eſt enim illic Epiſcopum conſtitui, ut Epiſcopi nomen & auctoritas vilipendatur*; certe nihilominus plurimae parvae urbes peculiarem Epiſcopum obtinuerunt [1]: quinimmo nec parvae urbes erant iam tum Florentia, & Faeſulae, ſed potius ſatis amplae & conſpicuae, tum inter ſe infeſtae.

Itaque, quid ſi Faeſulanam Eccleſiam rexerit D. Romulus ea circiter tempora, quibus Florentinam rexit D. Zenobius? quinimmo, quid ſi ille ipſe ſit, ad quem duas ſcripſit Epiſtolas S. Ambroſius? Reſpondent illae quaeſtionibus a Romulo pro-

po-

1 V. Binghamum Orig. Eccl. lib. 2. cap. 12.

poſitis, quae cum de sacris Literis ſint, Eccleſiaſticum hominem in primis decent: & *eum vel Diaconum, vel potius Sacerdotem quempiam fuiſſe, cui Eccleſia aliqua ruri adminiſtranda eſſet*, quoniam *in ſecunda ad ipſum Epiſtola ruri habitare aperte dicitur* iam diu coniecerant etiam S. Ambroſii Opp. editores Monachi Congregationis S. Mauri, quod ita cum eo ſe gerat Ambroſius, *ut eum filium appellet, & tamen in ſcripturis peritum ſignificet*. At vero nonne D. Petri Templum, cui D. Romulus inſerviit, extra urbem in agro fuiſſe poſitum ſcimus? Nonne D. Romulus D. Ambroſii amicitiam comparare ſibi potuit, cum sanctus Epiſcopus *a Florentinis invitatus ad Tuſciam deſcendit*? Nonne Diaconum annos triginta egit, ita ut ad Epiſcopatum iam ſenex pervenerit?

Credimus? An qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt?

S. Doctoris Epiſtolae hae ſunt: & quae in variis editionibus, & MSS. diverſimode leguntur, videſis in edit. Pariſ. tom. 2. Epp. Claſſ. 2. Ep. 66. & 68.

Ambroſius Romulo. Epiſtolarum genus propterea repertum, ut quidam nobis cum abſentibus ſermo ſit, in dubium non venit. Sed ſit hoc uſu, exemploque pulchrius, ſi inter parentem ac filios crebra & iucunda alloquia cedantur, ut vere inter disiunctos corpore quaedam imago referatur praeſentiae. His enim adoleſcit officiis amor, ſicut tuis ad me, aut meis ad te augetur literis. Sed hoc multo locupletius proximis tuae dilectionis experiri coepi affatibus, quibus me conſulendum putaſti, quid ſibi vellet quod Aaron aurum detraxerit populo poſcenti ſibi fieri Deos, & quod ex auro figuratum ſit vituli caput, vel quod Moyſes tam dure indignatus ſit, ut iuberet proximum quemque inſurgere gladiis in necem proximi ſui. Magnum eſt enim nullum pati abſentibus damnum irrepere non ſolum ſuavitatis, ſed etiam collationis & liberalis ſcientiae. Quid igitur de eo ſentiam quoniam expoſcis, conferendi magis, quam exponendi ſtudio loquar. Cum Moyſes in monte Syna legem acciperet, populus erat cum Aaron ſacerdote. Et quamvis frequenter ad culpam lubricus, tamen quandiu lex dabatur, ſacrilegio erraſſe non proditur.

Verum

Verum ubi divinum conticuit oraculum : peccatum irrepſit , ut peterent ſibi fieri Deos . Coactus Aaron petiit annulos eorum , & inaures mulierum , quae tradita in ignem miſit , & conflatum eſt vituli caput . Neque excuſare tantum ſacerdotem poſſumus , neque condemnare audemus . Non imprudens tamen qui annulos Iudaeis & inaures abſtulit . Etenim qui ſacrilegium moliebantur , nec fidei ſignaculum habere poterant , nec ornamenta aurium . Denique & patriarcha Iacob abſcondit inaures cum ſimulachris gentium , quando in Sichimis abſcondit , ut nullus audiret ſuperſtitiones gentilium . Pulchre autem dixit : Deponite annulos & inaures aureas , quae ſunt inaures mulierum veſtrarum . Non quo virorum inaures relinqueret , ſed quo viros non habere manifeſtaret . Congrue quoque inaures auferuntur mulieribus , ne iterum Eva vocem ſerpentis audiret . Et ideo quia ſacrilegium audierant , conflatis earum inauribus conflata eſt imago ſacrilegii . Qui enim male audit , conflare ſacrilegium ſolet . Cur autem caput vituli exierit , ſequentia docent : quia ſignificabatur futurum quod Hieroboam poſteriore tempore hoc genus ſacrilegii induceret , ut populus Hebraeorum adoraret vitulos aureos , ſive quod omnis perfidia ſimilis immanitatis atque inſipientiae beſtialis ſit . Cuius rei indignitate percitus fregit tabulas Moyſes , & comminuit vituli caput , atque in pulverem redegit , ut omnia impietatis aboleret veſtigia . Fractae ſunt enim primae tabulae , ut repararentur ſecundae , quibus per evangelii praedicationem perfidia comminuta evanuit . Sic Moyſes typum illum diſſipavit Aegyptium , & altitudinem extollentem ſe compreſſit aeternae legis authoritate . Unde & David ait : Et confringet Dominus cedros Libani , & comminuet eas tanquam vitulum Libani . Itaque abſorbuit populus omnem perfidiam ac ſuperbiam , ne eum abſorberet impietas & arrogantia . Melius eſt enim ut unuſquiſque praevaleat carni & vitiis eius , ne dicatur de eo quia devoravit eum mors praevalens , ſed dicatur magis : Devorata eſt mors in victoria ſua . Ubi eſt mors victoria tua ? Ubi eſt mors aculeus tuus ? Et de Domino dictum : De torrente in via bibet . Quia acetum accepit , ut abſorberet univerſorum tentationes . Quod autem occidi fecit a proximis proximos , filios a parentibus , a fratribus fratres , praeceptum evidens quia praeferenda eſt religio neceſſitudini , pietas propinquitati . Ea eſt enim vera pietas quae praeponit divina humanis , perpetua temporalibus . Unde & ipſe Moyſes ad filios Levi dixit : Qui paratus eſt a Domino , veniat ad me . Et dixit illis : Haec dicit Dominus Deus Iſrael : imponite unuſquiſque gladium ſuum in femore ſuo , & pertranſite : ut contemplatione atque amore reverentiae divinae perimeretur omnis affectus neceſſitudinis . Et occiſa quidem ſcribuntur tria millia hominum Nec numeri invidia movemur , quia melius eſt paucorum ſupplicio univerſos exui,

quam

quam in omnes vindicari. Neque vero aliquid durum videtur pro vindicta iniuriae coeleſtis. Denique ſanctiora caeteris ad hoc munus eliguntur miniſteria Levitarum, quorum portio Deus. Neſciunt enim ſuis parcere, qui nihil ſuum norunt: quoniam ſanctis omnia Deus eſt. Eſt etiam ille Levita verus ultor & vindex, qui carnem interimit, ut ſervet ſpiritum, qualis erat ille, qui ait: Caſtigo corpus meum, & ſervituti redigo. Quid autem tam proximum quam caro animae? Quid tam proximum quam ſunt paſſiones corpori? Eas in ſe Levita bonus interimit ſpiritali gladio, qui eſt verbum Dei bis acutum & validum. Eſt & gladius ſpiritus, qui pertranſit animam, ſicut ad Mariam dictum eſt: Tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes. Nonne caro animae fraterno quodam copulatur conſortio? Nonne etiam menti noſtrae affinis & propinquus ſermo eſt? Cum igitur comprimimus ſermonem ne multiloquio peccatum incidamus, ius germanitatis abrumpimus, & fraternae vinculum propinquitatis diſſolvimus. Irrationabile quoque ſuum anima tanquam cognatum rationabili vigore diſſociat. Sic ergo Moyſes docuit populum inſurgere in proximos ſuos, per quos fides revocaretur, virtus impediretur, ut deſecaretur in nobis quicquid a virtute devium foret, confuſum erroribus, vitiis innexum. Hac inſtitutione populi meruit, ut non ſolum deliniret indignationem divinam, atque offenſam averteret, verum etiam conciliaret gratiam. Pro captu itaque noſtro quid ſentiremus, quoniam conſuluiſti expreſſimus. Ipſe ſi quid melius habes, nobiſcum participato, ut ex te & ex nobis diſcamus quid potius eligendum & ſequendum ſit. Vale, & ut filius nos dilige, quoniam & nos te diligimus.

Ambroſius Romulo. Cum ſis in agro, miror qua ratione de me quaerendum putaveris, cur dixerit Deus: Ponam cœlum aereum, & terram ferream. Nam ſpecies ipſa agri & praeſens fertilitas docere nos poteſt quanta clementia ſit aeris, & cœli indulgentia, quando dignatur Deus ubertatem dare: quando autem ſterilitas quemadmodum clauſa omnia, ſpiſſus aer, ut in rigorem aeris ſolidatus putetur. Unde alibi habes quia in diebus Heliae clauſum eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex. Significatur igitur clauſum cœlum aereum eſſe, uſum ſui terris negare. Terra quoque ferrea eſt: cum proventus abnuit, & iacta ſibi ſemina tanquam hoſtili duritia genitali excludit alvo, quae gremio ſolet blandae matris fovere. Quando enim ferrum fructificat? Quando aes imbres relaxat? His igitur miſerandam famem minatur impiis, ut qui pietatem filiorum communi omnium Domino & Patri exhibere neſciunt, careant nutrimento paternae indulgentiae, ſit illis cœlum aereum concreto aere, & ſolidato in metalli rigorem, ſit

illis

illis terra ferrea partus ſuos neſciens, & quod plerumque inopia habet, diſcordias ſerens. Rapto enim utuntur qui victu indigent, ut alienis diſpendiis famem ſuam ablevent. Iam ſi & offenſa inhabitantium huiuſmodi ſit, ut divina commotione iis inferantur praelia, vere terra eſt ferrea, telorum ſegetibus inhorrens, & ſuis nuda fructibus, fœcunda ad poenam, ſterilis ad alimoniam. Ubi autem abundantia: Ecce ego pluo vobis panes, dicit Dominus. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Itaque, ubi quis meas de hiſce literis ſuſpiciones negligendas non eſse cenſeat, & tamen, quas de diviſione Florentinae Dioeceſeos a Faeſulana coniecturas urgebam non multi faciens, S. Romulum Faeſulanum non ſolum, ſed etiam Florentinum Epiſcopum extitiſse velit, habet quidem ubi inter Florentinos Epiſcopos collocet; etenim poſt S. Andream, qui S. Zenobium excepit, noſtrorum Epiſcoporum ſeries plus uno ſeculo ignoratur.

Ceterum illos ipſos Monachos, quibus Monaſterium S. Bartholomaei, ubi D. Romuli corpus quieverat, largiter dotatum dedit Bavarus [1] & largioribus deinde redditibus auxerunt ſuccesſores Epiſcopi [2] Actorum apocryphorum S. Romuli ſcripto-

1 V. Ughellum Ital. S. tom. 3 col. 224.

2 Cum antiqua inſtrumenta edere optimum plane ſit ſtudium, data occaſione, haud praeteream hic apponere inedita duo inſtrumenta, quorum primum eſt Epiſcopi Atinulfi, alterum vero Epiſcopi Tranſmundi: & utrumque iam indicavit etiam Ughellus, hoc auctoritate Ammirati Iunioris, illud vero ex Ammirato Seniore, ex quo illud quoque intelligimus, Atinulfum eam donationem Monachis S. Bartholomaei feciſſe, poſtquam Leonis IX. auctoritate aequior illis eſt factus; antea enim ita erat illis infenſus, ut etiam quaecumque illis indulſerat Iacobus Bavarus revocare voluerit.

☧ *In nomine Sancte & Individue Trinitatis. Opportunum valde eſt, ut unuſquiſque homo de ſalute anime ſue tanto ſit ſollicitior quanto magis de hora vocationis extat incertus. Quam vocationis horam veritatis voce ſtudioſe obſervare iubemur. Cum in Evangelio fatuis Virginibus ad nuptias intrare volentibus, oleum-*

oleumque in ſuis lampadibus non habentibus terribili ammonitione precipitur. Vigilate itaque quia neſcitis diem, neque horam. Hanc terribilem ſententiam ego Attinulfus Sancte Feſulane Eccleſie quamlibet non equis meritis Epiſcopus mente revolvens, meique preſulatus ordinem magno pondere gravatum precavens pro viribus.

In quantum Deus dedit cordis intentionem ad has eterni Regis nuptias bonorum profectu operum, atque reparandos Eccleſiarum mihi commiſſarum honores ſummo conamine dirigere ſtudui. Cumque multis inſiſterem operibus & ſecularibus preſſus devotione mentis, probis operibus ad votum explere non poſſe tandem Divino ſuccenſus amore ad ſacratiſſimum Romuli Martyris monaſterium ordinationis novitate adhuc egenum mentis intuitum revolvi. Hic namque locus multorum Sanctorum patrocinio decoratus tanto eſt ſalvandis animabus habilior quanto a ſeculari tumultu remotior, & Sanctorum ibi quieſcentium eſt religione ſacratior. Quamvis enim precipuorum Martyrum, vel Confeſſorum, necnon Epiſcoporum fuiſſet ibi eximius Principatus uſque ad noſtri predeceſſ. fel. mem. Iacobi tempora tamen prelibatus Antiſtes mutato nomine Epiſcopii principatus ſolummodo monaſterium ibi fieri decrevit. Ordinatis namque in eodem loco fratribus & Abbate in quantum valuit ad illorum neceſſaria decenter miniſtrare curavit. Qui prelibatus Epiſcopus quouſque vixit predictis aliiſque muneribus prout potuit monaſterium ditare curavit; & quecumque fuerant neceſſaria mortis metu interveniente omnino tamen explere non valuit. Mihi quidem, qui ſucceſſionis Pontificatu in prefato monaſterio teneo ad aumentum credo relictum a Domino. Non enim diffido participem me fore tante remunerationis ſi adiutorium tam ſacre venerandeque ordinationi impendere ſatagam. Ergo imprimis omnia quecumque f. m. Iacobus Epiſc. prelibato monaſt. contulit ego Attinulfus Epiſc. nec alicuius rei ſubgeſtione infectus nec ulla neceſſitate conſtrictus, ſed corde profecto animoque volente pro Dei amore, meeque anime remedio & ſpe future remunerationis, & pro anteceſſ. meorum, ſeu ſucceſſorum Epiſcoporum animabus iſtius Feſul. Civitatis, necnon & pro anima Ch. Sereniſſ. Imperatoris ſenioris mei ſueque preclare Coniugis G. Imperatricis necnon et pro ſalute Henrici filii ſui invictiſſimi Imp. Rom. atque Excellentiſſ. Imper. Coniugis ſuae Angnetis & pro animabus Imp. ſive iſtius Regni Regum remedio atque pro ſalute & anima Marchionis vel Ducis Bonifatii necnon & Coniugis eius Beatricis, ſeu Marchionum & Ducum Tuſcie, necnon & pro animabus omnium qui de ſuis rebus prefato monaſterio aliquod beneficium fecerunt vel facturi ſunt concedo, confirmo, & in perpetuum vigere exopto eo videlicet ordine ut ſi forſitan, quod abſit, aut ego aut aliquis ex meis ſucceſſoribus quacumque occaſione tollere vel minuere voluerit ali-

quid ex his que prelibatus Epiſcopus prefato monaſt. quocumque modo conceſſit, vel quo ego Deo iuvante per hanc confirmationis, & donationis cartam modo videor dare vel daturus ſum partem non dubitet habere cum Iuda preditore & anathema maranthà ligari. Concedo ergo ad hoſpitale predicti monaſterii auctoritate & conſenſu Sacerdotum, & Levitarum & Clericorum noſtri Epiſcopatus tres partes vinee adiacentis iuſta fluvium Munionis, que dicitur Faſciolaris, & campum unum ſimiliter adiacentem iuxta predicti fluvii alveum, ex alia parte decurrit ei publica via, unde ammoneo tam clericos quam laicos contra hanc noſtre Donationis paginam non audiant temptare niſi velint ſubiacere ſub prefato ligamine, ſed unuſquiſque prout a Deo conceditur ad noſtram ammonitionem & exemplum adiutorium ibi prout potuerit ne deſiſtat impendere, ut conſors valeat fieri eorum qui Eccleſiam Dei ditaverunt & ditando incorrupte conſervaverunt adiuvante Domino, qui vivit & regnat per infinita ſeculorum ſecula. Datam anno Dominice Incarnationis anno milleſimo quinquageſimo primo poſt mille, & anno Domini Heinrici Sereniſſ. Imper. 4. menſe Iunio Ind. 4. felicit.

Ego Attinulfus S. Feſul. Eccl. Epiſc. a me facta ſſ.

Ego Regembaldus Prepoſ. aſſenſum prebui & ſſ.

Ego Teuzzo Presb. & Canon. ſſ.

Ego Petrus Presb. & Cantor necnon & Canon. ſſ.

Ego Ruſtico Presb. ſſ.

Ego Guido Presb. ſſ.

Ego Raineri Diaconus ſſ.

Ego Reginaldus Diaconus aſſenſum prebui & ſſ.

Ego Leo Diaconus & Canon. conſenſi & ſſ.

Ego Ioannes Subdiaconus conſenſi & ſſ.

Ego Petrus Subd. conſ. & ſſ.

Ego Regembaldus Subd. conſ. & ſſ.

Ego Guglielmus Subd. & Canon. ſſ.

Ego Berardus Subd. conſ. ſſ.

Ego Grimaldus Subd. conſ. & ſſ.

Ego Regembaldus Diaconus ſſ.

Ego Ioannes Diaconus conſ. & ſſ.

Ego Ildebrandus Diaconus & huius ſancti Decreti voluntarie ſcriptor aſſenſum prebui, & literis propiis manibus factis ſubnotavi.

& finis

In Nomine Sancte & Individue Trinitatis. Opportunum valde eſt, ut unuſquiſque homo de ſalute anime ſue tanto ſit ſollicitior, quanto magis de hora vocationis extat incertus. Quam vocationis horam veritatis voce ſtudioſe obſervare iubemur. Cum in Evangelio fatuis Virginibus ad Nuptias Regis intrare volentibus, oleumque in ſuis lampadibus non habentibus terribili ammonitione precipitur. Vigilate itaque quia neſcitis diem, neque horam. Hanc terribilem ſententiam ego Traſmundus Sancte Feſulane Eccleſie, quamlibet non equis meritis, Epiſcopus mente revolvens, meique preſulatus ordinem magno pondere gravatum precavens pro viribus in quantum

tum

tam Deus dederit cordis intentionem ad has eterni regis nuptias bonorum profectu operum vigilando atque ad reparandos Eccleſiarum michi commiſſarum honores ſummo conamine dirigere ſtudui. Cumque multis inſiſterem operibus & ſecularibus curis preſſus devotione mentis probis operibus ad votum explere non poſſem, tandem Divino ſuccenſus amore ad Sacratiſſimum Romuli Martyris Monaſterium adhuc egenum mentis intuitu revolvi. Hic namque locus multorum Sanctorum patrocinio decoratus tanto eſt ſalvandis animabus habilior quanto & a ſeculari tumultu remotior, & Sanctorum ibi quieſcentium eſt religione ſacratior. Michi quidem qui ſucceſſionis pontificatum in prefato Monaſterio teneo ad augmentum credo a Domino relictum non enim diffido participem me fore tante remunerationis ſi adiutorium tam ſacro venerandoque loco impendere ſatagam. Ergo ego Traſmundus Epiſcopus nec alicuius rei ſuggeſtione infectus nec ulla neceſſitate conſtrictus ſed corde perfecto et animo pro Dei amore meeque anime remedio & ſpe future remunerationis & pro anteceſſorum meorum ſeu ſucceſſorum Epiſcoporum animabus iſtius Feſulane Civitatis nec non & pro anima Enrici Regis ſueque preclare Coniugis eius Regine & pro animarum Imperatoris ſive iſtius Regni Regum remedio, atque pro ſalute et anima Marchionis vel ducis iſtius Marche nec non et Beatricis filieque eius Mattilde ſeu et pro animabus omnium qui de ſuis rebus prefato Monaſterio aliquod beneficium fecerunt vel facturi ſunt, concedo do trado atque confirmo auctoritate et conſenſu Sacerdotum et Levitarum et Clericorum noſtri Epiſcopatus predicti Monaſterii et in perpetuum vigere exopto duodecim modiorum et dimidium in loco vallis Marine eo videlicet ordine, ut ſi forſitan quod abſit aut ego aut aliquis ex meis ſucceſſoribus quacumque occaſione tollere minuare aut intentionare voluerit aliquid ex eis que ego Domino iuvante per hanc confirmationis donationis cartam modo videor dare vel daturus ſum partem non dubitet habere cum Iuda proditore et anathema maranatha ligari. Sed volo ut ſupradicta terra duodecim modiorum et dimidium in predicto Monaſterio Fratres ibi manentium ad uſus eorum habeant et detineant, et gratias dieto inde referant qui regnat in ſecula. Que terra duodecim modiorum et dimidium ut expreſſius et deſignatius omni tempore cognoſcatur et appareat eſſe de Monaſterio S. Salvatoris ſito Alina. Unde ammoneo tam clericos quam laicos contra hanc noſtre donationis paginam non audeant temptare niſi velint ſubiacere ſub prefato ligamine. Sed unuſquiſque prout a Deo conceditur ad noſtram ammonitionem et exemplum adiutorium ibi prout potuerit ne deſiſtat, impendere ut conſors valeat fieri eorum qui Eccleſiam Dei dita-

res fuiſse non levis ſuborta eſt [1] ſuſpicio, ubi, quis eorum primus auctor fuerit, cogitarem: cum autem in Eccleſia S. Petri inſerviſset, unde *Alumnus D. Petri* fortaſſis dicebatur, hinc verum ipſius D. Petri diſcipulum dixiſse, & cum in eius inſcriptione mo-

verunt, et ditando incorrupte conſervaverunt. Adiuvante Domino noſtro qui vivit et regnat per infinita ſeculorum ſecula. Data anno Dominice Incarn. M. ſeptuageſimo III. Nonas Novembris Indictione XII. Feliciter.

Ego Tranſmundus Dei gratia Sancte Feſul. Eccl. Epiſc. a me facto ſſ.

Ego Teuzo presbyter & prepoſitus Sancte Feſul. Eccleſie conſ. et ſſ.

Ego Ioannes Archipresbyter conſenſi & ſubſcripſi.

Ego Ioannes presb. & Canonicus conſenſi & ſſ.

Ego Albertus Clericus & Canon. conſ. & ſſ.

Ego Bonattus presb. et Canon. conſenſi et ſſ.

Ego Rembaldus Clericus conſenſi et ſubſcripſi.

Ego Rembaldus Clericus conſenſi et ſſ.

Ego Bonizo presb. et Cappellanus ſſ.

Ego Gerardus filio Guidi advocatus conſ.

Aliud inſtrumentum Donationis factae a Traſmundo Faeſulano Epiſcopo Abbatiae S. Bartolomaei ſuperius laudavi pag. 43.

1 Bollandiſtae tom. 2. Iulii ſtylum Actorum XI. aut XII. ſeculum ſapere putant, iudiciumque ſuum deinde confirmant, quod haec circa tempora multa alia SS. Acta conficta ſunt, necnon auctoritate eruditi viri R. P. Dominici M. Sandrinii, qui de Actis S. Romuli ad eos ſcripſerat, quae ſequuntur: *Acta plurima habemus, & quae antiquiora ſunt in Bibliotheca Laurentiana, quae multis ſcatent mendis, illis ſimilia, quae in S. Iuſto Volaterrano optime correxiſtis. Haec quoque ponunt Antoniam civitatem pro Volaterrana, & ſimilia, quae exhibent, opus poſt milleſimum exaratum: ab hoc autographo ſcriptores poſteriores ſua acceperunt, & ſimilia de S. Martyre poſuerunt. Factum de aqua putei in vinum verſa* (-- an ita in Codice MS. Laurentiano legatur? Noſtri omnes habent, aquam putei converſam fuiſſe in ſanguinem, ſed bibentibus gentibus tantum, non Chriſtianis --) *parum ſecurum reputo, licet puteus in Cathedrali Faeſulana hactenus inſpiciatur; ſed primis novem, & decem ſeculis, antequam Eccleſia illa aedificaretur in monte, iacuit ignotus, nullo veteris venerationis, aut ſigni monimento approbatus. Inveni in Codice MS. antiquo Senatoris Caroli Strozzae, quod ex ſcriptoribus Vitae S. Romuli fuit Guido Canonicus Eccleſiae S. Romuli de Florentia, qui vixit anno MC. Forſan ille fuit, qui ſcripſit primam Laurentianam.* Sic apud Bollandiſtas Sandrinius, qui omnium primus, ut videtur, adverſus S. Romuli Acta belli ſignum extulit. Sed quonam Bibliothecae Strozianae codice vir doctus invenerit, quod Guido Eccleſiae S. Romuli Canonicus

monogramma vidiſsent ☧, quod certum martyrii ſignum non pauci olim exiſtimabant [1] eoque magis, quia iamdiu martyr dicebatur, ſpecioſum illud, quod Acta memorant, martyrii genus excogitaſſe videntur, etſi S. Epiſcopus ſolius deſiderii martyr extiterit, ut clare docet Homilia Actis longe vetuſtior.

Quod ſi quis noſse velit, ex quo tempore Martyris nomen S. Romulus adeptus fuerit, vetuſtius monumentum non habeo inſtrumento an. 1028. ubi ſic eum vocat Epiſcopus Iacobus Bavarus; ſed Epiſcopus Zenobius in inſtrumento an. 966. *Confeſſorem* tantummodo appellaverat, & hoc quidem, cum S. Romuli martyrium & multa alia oppugnent argumenta, praetermittendum minime eſse arbitror abſque animadverſione, *Confeſſoris* nomen, quod nunc sanctis viris poſt laudabilem vitam in pace mortuis datur, olim tribui ſolitum etiam illis, qui tormentis ob fidem ſuſceptis ſuperſtites tranquillam mortem oppeterent, unde interdum & veris martyribus communicatum fuit, ut recte nos monet vir doctrina ſingulari praeditus Proſper Lambertinus Sanctae Romanae Eccleſiae Presbyter Cardinalis ampliſſimus, & Archiepiſcopus Bono-

vivens an. MC. S. Romuli vitam ſcripſerit, inveniri non potuit, & ipſe a me rogatus rem ante hos triginta annos lectam indicare neſcivit. Guidonem quemdam Eccleſiae S. Romuli Rectorem vixiſſe an. 1343. ex Mannio diſcimus Sigillorum tom. 2. pag. 102. Porro ex tribus Laurentianae Bibliothecae Codicibus, in quibus S Romuli Acta referuntur, nullum quidem duodecimo, vel tertiodecimo ſeculo vetuſtiorem eſſe arbitrarer. Tandem D. Romuli Acta primum ſcripta eſſe, qualia ex Bodecenſi Codice ediderunt Bollandiſtae, non autem prout extant apud Florentinium, & in Codd. Laurentianis, quo nam iure in dubium revocari poſſit, non video.

1 V. Eduardum de Vitry p. 11. Diſs. de Tumulo T. Fl. Clementis viri Conſularis & Martyris.

nonienſis [1]. Porro etſi amplius non extet inſtrumentum Bavari autographum, adſervatur tamen antiquiſſimum eius exemplum in Archivo Epiſcopatus Faeſulani inter alias antiquas membranas, quorum Elenchum, & Epitomen ſcripſit vir humaniſſimus Hiacynthus Maſottus Rector S. Andreae *a Pulicciano* iuſſu Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. D. Franciſci Ginorii, qui nunc & pietate, & ſcientia ſpectatiſſimus Faeſulanam implet Cathedram; felicem plane Cathedram, & venerabilem, cum in ea tales ſemper Epiſcopi ſederint, ut ei iure & merito aptari illud poſſit:

. . . . *uno avulſo non deficit alter*
Aureus.

Neque vero praeteream in exemplo laudati Inſtrumenti, Notarium Parentem una cum duobus aliis Notariis coram Epiſcopo Tedice de Aliottis in Curia ad Aedes S. Mariae in Campo Kal. April. an. 1327. id quoque teſtari, autographum Bavari habuiſſe Sigillum ex cera, ubi eminebat Epiſcopus tiara inſignitus, quem circum arborei rami erant, & verba *Martyris eſt Romuli*, poſt quae aliorum verborum veſtigia apparebant, quae amplius non legebantur, & tandem *Imago Sigilli*. Scilicet hinc quoque apertum fit, undecimo Eccleſiae ſeculo ineunte Martyrem fuiſſe dictum S. Romulum, quamvis, quod iam tum conficta fuerit fabella, quod ſanguinem fuderit, haud facile concederem.

Paries Sacelli, ubi in nova Cathedrali Altare Confeſſionis erexit Bavarus, lunulis quibuſdam diſtinguitur, in quibus ab ipſa, ut creditur, Bavari aetate depicta S. Romuli geſta conſpiciuntur; in nulla tamen eius martyrium expreſſum eſt, quamvis ipſum

1 De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 2. n. 6.

ipſum potiſſimum exprimendum erat, ſi id temporis invaluiſſet fides, quod Sanctus Epiſcopus martyr obierit. Praeterea, quotquot extant antiquiores D. Romulum repraeſentantes imagines, nulla eſt quae martyrii ſignum aliquod exhibeat; & ſigillum, cuius memini, non palma, ſed arboreis ſoliis, ex vulgari conſuetudine, ornatum erat. Quid quod in nullo veteri Martyrologio D. Romuli Epiſcopi Faeſulani mentio eſt? Attamen martyrum nomina & mortis genus, eorum praecipue, qui fortius inierant certamen, aut aliqua dignitate erant magis conſpicui, per encyclicas literas ab una ad aliam Eccleſiam tranſmiſſa fuiſſe ſcimus [1].

Quae cum ita ſint, ecquis Faeſulanis non congratuletur, qui, Divino conſilio factum eſt, ut peſſimo liberarentur crimine, cuius plane immerentes inſimulabantur, sanctiſſimum nempe virum urbis ſuae Epiſcopum crudeliſſime interfeciſſe?

At ne quis miretur, eam famam diu & late habitam fuiſſe pro vera, animadvertamus oportet, eam eſſe vulgi conſuetudinem, quae portentoſa magis ſunt & admirabilia, & facile credere & pertinaciter propugnare. Quod vero D. Romulo obtigit, eius nempe martyrii acta conficta fuiſſe, & multis aliis obtigit sanctis viris, ut Lino, & Clementi, & Eleutherio Romanis Pontificibus, Felici presbytero Nolano, Apollinari Epiſcopo Ravennatenſi, aliiſque, quorum nomina Hiſtoriae Eccleſiaſticae ſtudioſos viros non latent.

In quantum autem ad nomen Martyris, indictum nolo, S. Apollinarem ab ipſo S. Chryſologo, qui mor-

1 v. Card. Lambertinum de Serv. Dei Beatif. &c. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 14.

ERRATA CORRIGE

Pag. 7. & 9. Quoad, *lege* quod ad. pag. 10. Hetruriae, *lege* Etruriae. pag 11. editum, *lege* editur. Ibid. ENTA, *lege* ENΘA. pag. 12. ETEΛE *defuncta* YTHCEN *eſt*, *lege* ETEΛEYTHCEN *defuncta eſt*. Ibid. *δεκατι*, *lege* ΔEKATH. Ib. *ξandicus*, *ξanthicus*, *lege Xandicus*, *Xanthicus*. pag. 15. Feſulae. Feſularum. *lege* Faeſulae. Faeſularum. pag. 20. ſepulchrale, *lege* ſepulchralem. pag. 40. *χειροτονουμένος*, *lege χειροτονουμένους*. Ibid. *ϛομηδαμοῦ*, *lege μηδαμοῦ*. pag. 47. *θυρορο͂ς*, *lege θυρωρο͂ς*. pag. 49. Illirici, *lege* Illyrici. pag. 51. eregie, *lege* egregie. eſſionis, *lege* ſeſſionis. pag. 53. Fior. *lege* Flor. pag. 56. aequipare, *lege* aequiparare. pag. 57. Binhgamum, Binhgamo, *lege* Binghamum, Binghamo. pag. 58. evallatur, *lege* Evellatur. equem, *lege* equum. pag. 73. Confeſſoris nomen, *lege* quamvis Confeſſoris nomen. *& infra* tribui ſolitum, *lege* tribui ſolitum eſſet. &c. &c. &c.

INDEX

A

ABbas Patrem ſonat 28.
Adimarius Ioannes 44.
S. Ambroſius Laurentianam Baſilicam Florentiae dedicavit 4. 12. 51. 64. Duae eius Epiſtolae cuidam Romulo inſcriptae referuntur 65. & ſeqq.
Ammiratus 43. 68.
Ammiratus Iunior 68.
Anaſtaſius Bibliothecarius 56. 61.
S. Andreas Scotus Archidiaconus Faeſulanus 44. Seculo 9. ineunte claruit ibid. Eius Vita a Puccinello edita ibid.
D. Antoninus S. Romuli Acta caſtigata edidit 16.
Apollinaris Epiſcopus Ravennatenſis Martyr non fuit 75.
Apoſtolica tempora quae 9.
Atinulfus Faeſularum Epiſcopus 68. Eius Inſtrumentum donationis refertur ibid. & ſeq.
S. Auguſtinus 40. Aurelius dicebatur 63.

B

Baronius 49.
Beatyllus P. Antonius 33.
Beda 43.
S. Benno Miſnenſis Epiſc. an. aetatis ſuae 25. Levita eſt initiatus 42.
S. Bernardus 43. 50.
Beveregius 45.
Bibliotheca S. Mariae Ord. Benedictinorum 29.

Binghamus 9. 43. 49. 57. 64.
Blaſius Monachus D. Romuli Acta caſtigata ſcripſit 16.
Bleſenſis Petrus 56.
Bollandiſtae 26. 33. 40. 72. & ſeqq.
Bonarota Philippus 21.
Borghinius Vincentius 4.
Bottarius Ioannes 4.
S. Brigida S. Andreae Scoti Faeſul. Archidiaconi ſoror 57.
Brocchius Ioſeph Maria 6. 17. 22. & ſeq. 28.

C

C litera pro G in antiquis Inſcriptionibus uſurpata 8.
Caeleſtinus Papa 65. annos in Diaconatu conſumpſit 56. 57.
S. Caeſarius adhuc puer Clero adſcitus eſt 36.
Caeſarius Arelatenſ. Epiſc. 43.
Campus Petrus Maria 46.
Caſtellinius Zaratin. 6.
Cataneus Diaccetius Franciſcus Epiſc. Faeſulanus D. Romuli corpus in eminentiorem locum tranſtulit an. 1584. 22.
Cerameus Theophanes 61.
Cerracchinius Lucas 13.
Chriſtiani ab ineunte Eccleſia morem habuerunt ſibi ſumendi Sanctorum Nomina, cum baptizarentur 21.
S. Chryſologus 75.
S. Clemens Papa Martyr non fuit 75.
Confeſsoris nomen quibus olim tribui ſolitum 73.
Cornelius Papa 9.
Cotelerius Io: Baptiſta 36. 61.
SS. Creſcii, & Sociorum celebris apud Florentinos memoria 2. Eorum Acta corrupta ſunt ibid. Quo Imperatore paſſi ſint, & quod mortis genus ſubierint, incertum eſt ibid.
S. Cyprianus Carthagin. Epiſcopus 9. 39. Obiit an. 259. ibid. 76.
Cyrillus Scythopolitanus 36. 61.

D

Damianus S. Petrus 27. 30. 51.
Diaconus nemo olim initiabatur niſi 25. annos natus 42. Pauci ante id tempus in eum Ordinem cooptati referuntur 43. Diaconi apud Presbyteros nonniſi invitati ſedere poterant 43. Plures in hoc ordine uſque ad decrepitam aetatem olim miniſtrabant 56.
Diaconus unde dictus 47.
Dionyſius Exiguus 46.
S. Donatus Arretii Epiſcopus 63. Multae ſacrae Aedes in Florentina Dioeceſi ei dicatae ſunt ibid.
S. Donatus Scotus Faeſularum Epiſcopus 57. Eius vita in Faeſulano Paſſionario extat ibid.
Duilius 8.
Duſchenius 43.

E

Eccleſiae primis ſeculis nemini datum fuit ſub Altaribus, neque in Eccleſiis ipſis recondi, niſi ſolis Epiſcopis, & SS. Viris 22.
Eleutherius 20. annos natus Illyrici Epiſc. eſt factus 49.
S. Eleutherius PP. Martyr non fuit 75.
Ennodius 40. 43.
Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus ferme 8. ann. Lector fuit 40. 43. 47.
Epiſcopi, & interdum etiam Presbyteri, a Clero, & a Populo univerſo olim eligebantur 38. Utrum idem de inferioribus Ordinibus dicendum ſit ibid. Pro affirmativa parte monumenta quaedam referuntur 39. Nemo Epiſcopus creari poterat 30. ann. iunior 49. Ex quibus Ordinibus creari poſſent Epiſcopi 57. In parvis urbibus conſtitui non poterant 64. Sed hoc nihilominus non raro factum eſt ibid.
Epiſcopium quid ſit 31.

Eugenius I. Clericus ab incunabulis 36.
S. Euthymius Abbas 36. Triennis Lector eſt factus 40.

F

Fabrettus 21.
Felix *a Florentia Tuſcorum* inter Epiſcopos Rom. Concilii pro cauſſa Donatiſtarum indicti an. 313. recenſetur 2.
Felix Presbyter Nolanus Martyr non fuit 75.
Fleetvvood Guilielmus 21.
Francius D. Placidus 29.
du- Freſne Carolus 29. 46. 61.
Frontinus, & Paulinus 1. Nonnulli D. Petri Diſcipulos eos fuiſſe volunt ibid. Omnium primos Florent. Evangelium docuiſſe probabile eſt 13. Primus Florentin. Epiſcopus Frontinus non fuit ibid. Utrum idem ſit ac Fronto Petragoricenſis Epiſc. 14. Frontini, & Frontonis nomina olim confuſa ibid.
Fundanus Lector 9.

G

Gentiles in fine ſuarum Inſcriptionum literas B. M. frequentius ponebant; Chriſtiani autem in principio 6. Earum apud utroſque ſignificatio ibid.
Ginorius Franciſcus Faeſularum Epiſcopus 74.
Gorius Antonius Franc. 4. 7. 10. 21.
S. Gregorius Magnus 46. 51.
S. Gregorius Nazianzenus 9.
S. Gregorius Turonenſis 41.
Gruterus 9.
Guerricus Abbas 50.
Guido quidam Eccleſiae S. Romuli Rector 73. Vixit anno 1343. ibid.
Gutherius Iacobus 11.

H

Hermontius Gotifredus 41.
Hiberniam Veteres Scotiam appellarunt 58.
S. Hieronymus 39. 46.
Hilarius Papa 57.
Hincmarus 49.

I

I pro E in antiquis Inſcriptionibus 11.
Iacobus Bavarus Epiſc. Faeſulanus Corpus S. Romuli in novam Eccleſiam tranſtulit 19. 43. 61. 68. Primus omnium S. Romulum vocat Martyrem in quodam Inſtrumento an. 1028. 73. Eius Inſtrumentum autographum amplius non extat 74.
Iacobus de Altovitis Faeſulanus Epiſc. 24.
Inſcriptiones Chriſtianae Florentiae inventae recenſentur, & explicantur 4. & ſeqq.
Io: Cabillonenſis Epiſc. 40. & ſeq.
S. Io: Chryſoſtomus decem ann. Lector extitit 41. 47. 51. 76.
S. Iſidorus 76.
Iuſtellus Chriſtophorus 45. Henricus filius eius Bibliothecam edidit ibid.
Iuſtinianus prohibet aliquem Lectorem fieri minorem 18. annorum 39. 42. 47.

L

Labbè 46.
Lambertinus Proſper Cardinalis 73.
Lamius Ioannes explicatur 1. 2. 13. S. Romulum a D. Petro miſſum non fuiſſe recte ſentit 15. 17.

Lectores honoris] cauſa nobiliſſimi Viri fiebant *9*. Secundo Eccleſiae ſeculo inſtitutus videtur Lectorum ordo ibid.
S. Leo 40. 57.
Leo Oſtienſis *46*.
Levitae Hebraeorum a 25. annis, & ſupra in Templo miniſtrabant 44. Locus Num. 4. de illis explicatur ibid.
S. Linus Papa Martyr non fuit 75.
Locales Clerici qui 40.
Lucianus 14.
Lupius Antonius 5. & ſeqq. 11. & ſeq.

M

Mabillonius 28. & ſeq. *46*. & ſeq.
Macedus Antonius 58.
Macrii 45. *61*.
Magnaniorum Gerbiorum Familia 44.
S. Malachias 43.
Malvaſia Carolus Caeſar *6*. *9*.
Mannius Dominicus 4. 18. 43. 73.
Manſionariorum officia *46*.
Martene Edmundus 42. *49*. 57.
Maſottus Hiacynthus 74.
Metaphraſtes 36.
Meurſius Ioannes 12. 45.
SS. Miniatis, & Sociorum celebris eſt apud Florentinos memoria 2. Eorum Acta interpolata ibid. Quo Imperatore claruerint, & quod ſubierint mortis genus, valde obſcurum ibid.
Monachi omnes Abbates olim dicti ſunt tum a Graecis, tum a Latinis 28.
Monogramma ☧ certum Martyrii ſignum plures olim exiſtimabant 73.
Moſchus *61*.
Muratorius Ludovicus 11. & ſeq.

N

Nicephorus 49.
Noriſius Henricus Cardinalis 11.

O

O & V literae antiquitus ad invicem immutatae 11.
Oldericus Epiſc. 29. Quis ille ſit, cui Theuzo opus ſuum dedicavit, incertum 30. Plures hoc nomine ſynchroni fuere ibid.
S. Optatus Milevitanus 2.
Ordericus Vitalis 43. Eius hiſtoria Normanniae ibid.

P

Paganorum Epitaphia raro habent Kal. Nonas, & Idus 5.
Panvinius Onuphrius 12.
Paramonarius quid 45. & ſeq. Variae de hoc nomine Auctorum ſententiae ibid.
S. Paulinus Florentinorum Apoſtolus 13. Idem probabiliter eſt, ac Paulinus Lucenſis Epiſc. 14.
S. Paulinus Nolanus 40. 47. Pontius quoque dicebatur 63.
Paulinus Presbyter D. Ambroſii vitam conſcripſit 3.
Phola Torellus Canonicus Faeſul. 24. & ſeqq. 33. 41. 46.
Puccinellus 44.

R

Regembaldus Faeſulanus Epiſc. 27. 43.
Reineſius 11. 21.
S. Remigius 22. annos natus Epiſcopus fuit renunciatus 29.

Ren-

Renzius Ioannes 44.
Romulus Canonicus Faeſulanus 21.
S. Romulus Petri Diſcipulus a multis dicitur 15. Id nulla comprobant vetuſta monumenta ibid. Ante D. Antoninum nemo id prodidit 16. Illum plures urbes ſuum Epiſcopum faciunt 15. Eius Acta fabulis ſcatent 16. Altaria plurima, ac Templa eius nomini dedicata in Etruria 18. Eius antiqua Faeſulana Eccleſia primum D. Petro dicata fuit 19. Eum Florentinae, ac Faeſulanae Dioeceſeos populi plurimum coluerunt 21. Huic Romulo dicatus eſt Faeſulanus lapis antiquiſſimus ibid. Homiliam pro eius feſtivitate exhibet MS. Codex Reverendiſsimi Capituli Faeſul. 22. Ea Homilia palam ab Eccleſia legebatur 23. Hanc Homiliam exhibet alius etiam Codex Metropol. Florent. 26. S. Romuli Patrocinio gaudebant tum Faeſulani, tum Florentini 28. A teneriori aetate ad Eccleſiaſtica miniſteria adſcitus eſt 36. Eius vitae a primis annis integritas 37. Adhuc puer cuſtos Faeſulanae Baſilicae conſtitutus ibid. Faeſularum Patronus dicitur 38. Totius Cleri conſenſu ad Lectoris officium promotus fuit ibid. Per annos 15. Lector fuit 41. 55. Forte decennis Lector eſt factus ibid. Poſt Lectoratum Diaconatum ſuſcepit ibid. Annum agens circiter 25. Diaconus eſt initiatus 42. Confeſſor dicitur 48. & ſeq. Martyr in proximorum compaſſione, non in ſanguinis effuſione 50. Fere ſexagenarius Faeſularum Epiſc. eſt factus 50. Eius innocentia 53. In Ordine Diac. 30. annos tranſegit 55. Presbyter etiam fuit, antequam crearetur Epiſcopus 56. Ad eius ſepulchrum multa miracula Deus operatus eſt 60. Eius obitus Pridie Non. Iulias celebratur 61. Pluries Patronus dicitur ab auctore Homiliae iam laudatae 61. Haec Homilia in antiqua Cathedrali Eccleſia recitata eſt ibid. Circiter quartum Eccleſiae ſeculum probabiliter claruit 63. Ille Romulus forte fuit, cui D. Ambroſius duas dedit Epiſtolas 64. Templum, cui inſerviit, extra urbem fuit 65. D. Ambroſii amicitiam ſibi comparare potuit ibid. Quo tempore nomen Martyris adeptus ſit 73. Nullus Codex ex illis, in quibus eius Acta referuntur duodecimo, vel tertiodecimo ſeculo vetuſtior eſt ibid. Ubi eius geſta de-

picta conſpiciantur 74. Ex eius antiquioribus Imaginibus nulla exhibet martyrii aliquod ſignum 75. In nullo veteri Martyrologio S. Romuli Epiſc. Faeſulani mentio eſt 75.
Roſſius Iacobus 7.

S

Sandrinius Dominicus Maria 72. Primus S. Romuli Actis adverſatus eſt ibid.
Scaliger Ioſephus 12.
Schola Gentilium Seniorum quae 11.
Sidonius Appollinaris 40. 41. 56.
Siricius Papa a teneriori aetate pueros cooptari ſolitos in Clerum tradit 36. 39. 41. 43.
Socrates 9. 39.
Sozomenus 9.
Spanhemius 11.
Stephanonius 56.
Strozza Carolus Senator 5.
Subdiaconi diu in ſuo Ordine olim vivebant 56.
Suicerus 45.
Surius 36. 42.
Symmachus 11.

T

Tertullianus 9.
Theodoretus 12.
Theodorus Diaconus Alexandrinus 15. ann. Lector extitit 41.
Theuto, ſive Teuzo Abbas homiliae in feſtivitate S. Romuli Auctor 26. Quis ille ſit, incertum 27. Circa X. Eccleſiae ſeculum hoc nomen coepit invalere 26.
Theuzo Eremita, & Monachus Florentinus 27. Vixit annos pluſquam centum, & obiit an. 1064. ibid. Beati nomen, & cultum iamdiu obtinet ibid. Abbas numquam fuit 28.
Theuzo Presbyter, & Canonicus 27.

Theuzo Radiolenſis Abbas laudatae homiliae probabiliter auctor extitit 28. Alia eius opera 29. Obiit an. 1095. & Beati nomen obtinuit ibid. Monaſticam vitam amplexus eſt an. 1015. *61.*
Theuzus Grammaticus, & Eccleſiae Faeſulanae Primicerius 27.
Thomaſſinus 42. *46.* & ſeq. 49. 57.
Tranſmundus Faeſularum Epiſc. 43. *68.* Eius Inſtrumentum donationis refertur 70.

V

Verianeni nomen, atque adeo cognomen explicatur *6.*
Vghellus 18. & ſeq. 21. 27. & ſeq. 30. 43. *46. 61. 68.*
Victor Uticenſis 40.
Victorius Franciſcus Eques 11.
Villanius Io: non raro errat 13.
de Vitry Eduardus 73.

X

Xandicus, ſive Xanthicus Menſis 12.

Z

Zenobius II. Faeſularum Epiſc. 18. 43. *61.* S. Romulum Confeſſorem tantum appellat an. *966.* 73.
Zoſimus Papa ab infantia Eccleſiaſticis miniſteriis pueros adoptari ſolitos docet *36.* 41.

Iuſſu

IUſſu Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domini Vicarii Generalis Archiep. Florent. legi & evolvi diligenter Librum, qui inſcribitur De Romano Divi Petri itinere & Epiſcopatu, eiuſque antiquiſſimis imaginibus Exercitationes Hiſtorico-Criticae &c. in eoque nihil inveni, quod ne publici iuris fiat, impedimento eſſe poſſit: immo in eo multa utilia, & ſelecta, & quae in lucem proferantur digniſſima, admiratus ſum; & praecipue in hac Diſſertatione De primis Florentinorum Apoſtolis, in qua & Auctoris eruditiſſimi multiplex doctrina mirabiliter eminet, & omnia ſummo cum iudicio ad criticae laudatiſſimae normam exiguntur, ut inde maximam utilitatem Lectores referre valeant, in quorum fidem ſubſcripſi.

Ioannes Lamius Publicus Hiſt. Eccl. Profeſſor.

Attenta ſupradicta relatione imprimatur.

Iulius del Riccio Vic. Gen.

Imprimatur

Vic. Gen. S. Off. Florentiae.

Carolus Ginori pro Reg. Celſ. vidit.

181

V.1/6

10/-

SPECIAL 79-B
3531

257783